

27. 29.

# Jahresbericht

über das

## Königliche Katholische Gymnasium

zu Braunsberg

in dem Schuljahr 1868—69,

mit welchem zu der

Freitag den 30. und Sonnabend den 31. Juli

stattfindenden öffentlichen Prüfung der Schüler aller Klassen und  
der Entlassung der Abiturienten

ergebenst einlabet

der Direktor der Anstalt

Prof. J. J. Braun.

- Inhalt: 1. Eine Abhandlung: De fide Polyano, Strategematum scriptori, habenda,  
vom Gymnasiallehrer Dr. Malina.  
2. Schulnachrichten vom Direktor.



Braunsberg.

Gedruckt bei C. A. Seyne.

96r  
6 (1869)

117

# Lehrerbuch

von

## Königliche Katholische Gymnasien

zu Graz

in dem Schuljahr 1882-83

mit welchem die

Prüfung der 8. und 9. Klassen der

höheren öffentlichen Schulen der Stadt Graz verbunden sind  
zur Verfügung der Lehrkräfte

ausgegeben

von Direktor der Stadt

Herrn Dr. J. Braun

Verlag: J. B. Schönböcker, Buchverleger, Wien, Wollzeile 11.  
Preis: 1.50 Schilling



Verlag

Wien, Wollzeile 11.

## De fide Polyaeo, Strategematum scriptori, habenda lucubrationes.

De Polyaeo, Strategematum scriptore, tanta diu fuit inter viros doctos, quanta maxima esse potuit, dissensio. Namque ut alii, in primisque Casaubonus, nimii fuerunt in eo collaudando, ita alii, veluti Reiske, nimio, opinor, immoderatoque vituperandi ardore et impetu justo longius abrepti multis eum gravibusque reprehensionibus onerarunt, paene dixi, obruerunt. Inter quos medii quasi quidam tandem exstiterunt et ii quidem aequiores iudices arbitrique, qui quo commodius mota illa controversia et dijudicaretur et componeretur, Strategemata etiam atque etiam recognoscenda diligentiusque percensenda statuerent. Ex quo multo sane rectius magisque ex veritate aestimari illa coepta sunt. Quamquam ne nuper quidem defuerunt, qui nimium tribuerent Polyaeo, auctorem certum fideque satis dignum eum esse omni asseveratione affirmantes. Quos magno in errore versari in libello, quem de dictione Polyaeo conscriptum abhinc annos quindecim emisi, paucis monui breviterque annotavi<sup>1)</sup>. Nunc jam oblata hac scribendi occasione Polyaeo quid fidei habendum sit, quaerere et quam exactissimo fieri poterit iudicio examinare libet. Neque ita difficile erit demonstrare, Polyaeum non esse dignum, qui probi scriptoris laude afficiatur. Certe quidem qui Strategemata altius inspexerit, in iis inesse, quae nullam neque auctoritatem neque fidem habeant, viderit. Quamvis enim multa satis recte retulerit Polyaeus, non pauca tamen secus, ac debuit, retulisse idem cognoscitur. Etenim res factaque, quae ex superiorum auctorum scriptis tractanda sumpsit, alibi confudit et corripit, alibi arbitrato suo immutavit immutataque sic in rem suam convertit, ut permultis locis vera falsis mirum in modum mixta esse

<sup>1)</sup> Vide quae in contrarias partes de Polyaeo disputarunt Casaubonus, praef. ad Polyam. ed. p. 3; Maasvicius, praef. ad Polyaeum. ed. p. 7; Mursinna, praef. ad Polyaeum. ed. p. 3; Clericus, bibl. univers. tom. XIX. p. 457; Gerh. J. Voss de historic. graec. ad nomen Polyaeum; J. A. Fabricius, bibl. graec., tom. V. p. 321 sq.; Bayle, dictionnaire hist. et crit., ad nomen Polyaeum; St. Croix, examen crit. des anc. historiens d'Alexandre le Grand, p. 127 sq.; Wyttenbach, bibl. crit. vol. I, fasc. 4 p. 111; Fr. Aug. Wolf, Vorlesungen über d. Gesch. d. griech. Litterat. p. 402; Reiske ad Const. Porphyrog. de caeremoniis, p. 236. D. 5. cf. Zeitschr. f. Alterthum. Wissensch. 1834 p. 975; Schoell, Gesch. d. griech. Litt. II. p. 716 sq.; B. G. Niebuhr, kl. histor. u. philol. Schriften, I, 454; id., Vorträge u. alte Gesch., herausg. v. Marc. Niebuhr, vol. 3. p. 8. 156; Mannert, Gesch. d. Nachfolger Alexanders p. 377; Coray, praef. ad Polyaeum. ed. p. 5 sq.; Blume, observatt. in Polyaeum. p. 3 sq.; Droysen, Gesch. d. Hellenism. I, 685, et Gesch. Alex. p. 385; Schneider ad Xen. Hell. I, 6, 20 sq.; Fr. Haase, Blätter f. liter. Unterhalt. Januar 1838 n. 23; Wölfflin, praef. ad Polyaeum. ed. p. 7 sq.; Rud. Nicolai, Gesch. d. griech. Litterat. 2. Hälfte, 2. Heft p. 521 sq.



appareant. Rem prolatis, quae ad quaestionem explicandam proferri satis fuerit, exemplis mox comprobabimus. Eam vero in locis afferendis et aestimandis viam et rationem inibimus, ut neque omnia strategemata, id enim infinitum est, neque singula deinceps illo ipso, quo scripta leguntur, ubique proponamus ordine, sed ut delibemus et suo quaeque loco in medium proferamus, quae ad rem enucleandam praeter cetera apta et accomodata vel etiam omnium maxime in promptu esse videantur.

Pauca haec praefati jam ad propositum accedimus. Exordimur autem ab iis strategematis, quorum argumenta Polyaeus a Xenophonte petivit, locupletissimo illo rerum, quibus gerendis ipse non solum interfuit, sed praefuit, auctore atque teste. Sunt vero haec:

I, 49, 1 Polyaeus de Tissaphernis equitibus jumenta Graecorum vexantibus, ut de re quadam vera certove facto commemorat. Quod aliter se habere testatur Xen. Anab. III, 2, 27 sq. Vera nimirum rei ratio haec est: Graeci quum amissis ducibus summa affecti desperatione animis penderent, quo potissimum modo salutis suae consulere, concione advocata Xenophon afflictos sollicitosque militum animos gravi oratione confirmavit ostenditque, quibus rebus freti et certam victoriam et reditum tutum sperare possent. Hac comprobata oratione idem exponit, qua ratione agmen ducendum quaeque iter per hosticum facientibus cautiones adhibendae sint. Suadet igitur suis et alia et hoc, ut tentoria plaustraque comburant et inutilem omnem ac supervacaneum impedimentorum apparatus tollant et removeant. De equitibus illis Tissaphernis illo ipso tempore jumenta Graecorum vexantibus l. c. nulla omnino mentio facta est; ex quo apparet, Polyaeum veris aliena et falsa affinxisse, ut conficeret, quod instar esset strategematis.

Quod ibid. §. 2 refertur strategema, ad quod conferenda sunt, quae leguntur ap. Xen. ibid. III, 3, 16 sq., ita comparatum est, vix ut fontem, ex quo Polyaeus hausit, possis agnoscere. Nam quae Xenophon de Mithridate Graecorum agmen lacessente ordine et accurate narravit, Polyaeus paucissimis absolvit satisque habet rem strictim attingere et summatim perscribere. Neque enim locum neque tempus, quo ea, quae refert, gesta sunt, definit, neque nominat, quocum res erat Xenophonti, Mithridatem, sed generatim et universe de barbaris dicit in itinere, quod Graeci faciebant, instantibus<sup>1)</sup>.

Neque melius rem suam administravit Polyaeus ibid. §. 3, ubi haec leguntur: *Ξενοφῶν, τῶν βαρβάρων προκαταλαβόντων στενὸν τόπον, ἢ τὴν πάροδον ἀναγκαῖον ποιῆσαι τοῖς Ἕλλησιν ἦν κ. τ. λ.*<sup>2)</sup> Contra Xen. An. III, 4, 37: *τῇ δὲ τετάρτῃ, νικτὸς προελθόντες, καταλαμβάνουσι χωρίον ὑπερδέξιον οἱ βάρβαροι, ἢ ἔμελλον οἱ Ἕλληνες παριέναι, ἀκρωνυχίαν ὄρους, ὑφ' ἣν ἡ κατάβασις ἦν εἰς τὸ πεδίον.* Quid aliud Polyaeus in manifestum errorem induxerit, nisi singularis quaedam veritatis incuria, haud sane intelligo. Nam loci illius angustia, quem a barbaris occupatum perhibet, nullum apud Xenophontem exstat vestigium, neque Graeci in ipsum collem, in quo barbari praesidium collocatum habebant, escenderunt, ut opinatur Polyaeus haec referens: *τὴν πορείαν ἐπὶ τοῦτον*<sup>3)</sup> (sc. τὸν λόφον) ἐποιεῖτο, κατὰ κεφαλῆς αὐτῶν (i. e. τῶν προκαταλαβόντων στενὸν τόπον)

<sup>1)</sup> Polyaeus hac de re purgatum vult Wölflin. praef. p. 8. Nescio, an injuria. Nimirum quae ad rerum caput pertinent maximique momenti sunt, hominum, temporum, locorum accuratas notationes negligere, talis est negligentiae, quae ne a festinatione quidem satis habeat excusationis.

<sup>2)</sup> In afferendis locis secutus sum editionem Corayi.

<sup>3)</sup> Alii ediderunt: *τοῦτο* (sc. τὸ ὄρος). Nihil tamen secius obscuritas illa restat et dubitatio de angusto loco, quem a barbaris praeoccupatum Polyaeus destitutus omni Xenophontis auctoritate memorat. Quid quaeris?



βουλόμενος γενέσθαι, sed in montis verticem enisi sunt, ipsorum agmini impendentem, a quo aditus erat ad collem illum, qui barbarorum praesidio tenebatur. Sperabat enim Xenophon fore, ut barbari hostes supra se conspicati praesidio relicto fugam caperent; cui spei eventus respondit. Vid. Xen. ib. III, 5, 1. Ne plura; perversa esse, quae Polyaeus prodidit, nemo non videt.

Non minus a Xenophontis narratione aberravit Polyaeus ibid. §. 4. Scripsit haec: *Ξενοφῶν ποταμὸν (Κεντρίτην) πειρώμενος διαβαίνειν, ὑπὸ τῶν βαρβάρων ἀντικαθήμενων κωλύμενος, τῶν Ἑλλήνων χιλίους ἐπιλέξας* (Xen. ibid. IV, 3, 20: *τῶν ὀπισθοφυλάκων λαβὼν τοὺς εὐζωνοτάτους*) *ἐπεμψε καὶ ἑτέραν διάβασιν· αὐτὸς δὲ κατὰ στόμα προάγων, διαβαίνειν ἐβιάζετο κ. τ. λ.* Perperam. Minime enim Xenophon de flumine exadversum hostes transeundo cogitavit, erat nimirum illo loco transitu difficilium (vid. Xen. ib. §. 6); immo nihil aliud quam simulavit, id se agere, ut illo loco trajectus barbarorum equites, qui in adversa ripa secundum flumen custodiam agitabant, intercluderet (Xen. ibid. §. 20: *προσποιούμενος ταύτη διαβάς ἀποκλείσειν τοὺς παρὰ τὸν ποταμὸν ἐπιπέις*). Ipse certe eodem vado, quo Chirisophus cum suis flumen transibat illo tempore, et constitutum habebat transire et repulsis jam, qui extremum ejus agmen a tergo graviter urgebant, Carduchis transiit paucisque amissis in ulteriorem ripam evasit. Cf. Frontin Strategem. I, 4, 10.

Quae Polyaeus II, 2, 4 de Clearcho narrat, a simili Xenophontis loco, Anab. II, 4, 22 seq., quo quidem locus Polyaeus haud dubie spectat, ita discrepant, ut qui neget, petita illa esse a Xenophonte, recte negare videatur. Alia omnia enim atque Xenophon Polyaeus enarrat. Qua de causa valde reprehendendus est. Nam rejectis iis, quae incerto quodam nec satis fido auctore de ea re allata erant, Xenophontis potissimum, quo nemo quisquam locupletior rei testis inveniri poterat, omni cura et diligentia sequi debuit auctoritatem. Sed veritatis parum studiosus, quaecumque sese offerebant litteris mandata, temere arripuit itaque prodidit, tamquam si explore percepta et cognita essent.

Brevi et quasi praeteriens monuerim, unum de quinque praetoribus Graecorum, quos Tissaphernes laesa fide comprehendit, novo nomine a Polyaeo VII, 18, 1. notari. Qui enim apud Xenophontem ib. II, 5, 31. (cf. ib. 6, 30. III, 1, 47) *Ἄγλας Ἀρκάς* nominatur, idem ab illo, si vera est, in qua praeter Wölfflin. omnes, qui Polyaei Strategemata ediderunt, mirifice consentiunt scriptura, *Ἄγλας Ἀρκάς* nuncupatur<sup>1)</sup>. Cetera tamen, quum discesseris a concubinis, quibus adhibitis Tissaphernem foedus cum Graecorum ducibus fecisse Polyaeus memorat, omnia et inter se et cum narratione Xenophontea congruunt.

Sed Polyaei illa, quam diximus, veritatis incuria ac negligentia etiam latius patet. Miro captus errore et a vero plane aversus haec tradidit I, 44: *Ἐτεόνικον Λάκωνα ἐν τῇ Μιτυλήνῃ Κόνων Ἀθηναῖος ἐπολιόρχει κ. τ. λ.* Contra ea Xen. Hell. I, 6, 16: *Κόνων — καταφεύγει ἐς Μιτυλήνην τῆς Λέσβου κ. τ. ε.* §. 19: *Ὁ δὲ Κόνων, ἐπεὶ ἐπολιορκεῖτο καὶ κατὰ γῆν καὶ κατὰ θάλατταν.* — §. 26: *Ὁ δὲ Καλλικρατίδας — αὐτοῦ κατέλιπε πεντήκοντα ναῦς καὶ ἄρχοντα Ἐτεόνικον κ. τ. λ.* His adjungitur brevis pugnae navalis apud Arginusas insulas commissae descriptio. §. 36 ad res apud Mitylenen gestas narratio interrupta redit. Quae deinceps apud Xenophontem leguntur, a Polyaeo ad verbum fere transcripta sunt.

Deflexit homo Macedo aliquantulum a veritate. Barbari non locum angustum, quem Polyaeus somniat, sed collem occupaverunt, ut Graecos itinere prohiberent.

<sup>1)</sup> Plura ejusdem generis exempla infra afferam.

Jam vero, quae ex Xenophonte attulimus, planum faciunt et declarant, oppugnatum esse Cononem ab Eteonico, non, ut visum est Polyaeo, Eteonicum a Conone. Cf. Diodor. XIII, 97 sq.

Pergimus ad alia. Si boni scriptoris est, rerum ordinem servare omniaque temporum ratione diligenter habita sic disponere et collocare, ut suum quaeque locum obtineant, ne ab hac quidem parte Polyaeus nimium probandus est. Miserrime enim rerum, quas narrat, ordinem seriemque turbavit I, 21. Quod tertium est ejus cap. strategema, primo loco poni debebat. Quae vero in extremo hoc strategemate (§. 3) leguntur: „καὶ τοῖς παισὶ τὴν τυραννίδα κατέλιπεν“ priori strategematis primi parti erant addenda. Satis enim notum est, Pisistratum post occupatam tyrannidem ab adversariis bis expulsus esse Athenis. Alterum strategema, de quo frustra evolutis veterum scriptorum libris nihil certi ausim affirmare, dubium est, an suo loco positum sit. Sed quod primo loco allatum offendimus strategema, duobus illis ita adjiciendum erat, ut pars ejus posterior, qua Phya ad decipiendos Athenienses specie Minervae exornata una cum Pisistrato Athenas curru invecta esse memoratur, a parte priore disjuncta suum per se strategema efficeret praemissis iis, quae ex Herodoto I, 60 supplenda erant. Constat enim, Phya ope, si pervulgata de ista muliere fabula vera est, Pisistratum illo tempore usum esse, quo Megacles spe jungendae affinitatis cum eo reconciliatus reditum ei aperuerat. Idem tamen paulo post, quum Megaculis odium in se concitasset, ex urbe iterum cedere coactus Eretriae undecim annos degit, unde rebus ad bellum necessariis satis instructus ad recuperandam tyrannidem in Atticam tandem revertitur Athenisque tertium potitur. Haec, quae proxime memoravi, strategematis primi parte priore pertractata falsoque praemissa sunt iis, quae de Pisistrato Phya comite Athenas reverso ibid. perscripta inveniuntur. Debebant nimirum, ut tempore erant posteriora, ita etiam post illa proferri, quae prius facta esse ne Polyaeus quidem facile ignorabat. Illa vero, quae in extremo strategemate tertio leguntur „αὐτὸς τε τύραννος Ἀθηναίων ἐγένετο, καὶ τοῖς παισὶ τὴν τυραννίδα κατέλιπεν,“ adjungenda erant, ut supra monui, his, quibus prior strategematis primi pars concluditur, verbis: „καὶ Πεισιστράτῳ τὸ ἄστυ ἐπέτρεψαν“, ita tamen, ut illa ad hunc fere modum immutata proferrentur: *Ὄντω δὴ Πεισίστρατος τὸ τρίτον τύραννος Ἀθηναίων ἐγένετο, καὶ τοῖς παισὶ τὴν τυραννίδα κατέλιπεν.* Quibus ita constitutis sana jam plana sunt omnia. At contra visum est Polyaeo neglecta rerum serie pessime perturbata omnia et confusa tradere<sup>1)</sup>. Ceterum vid. de Pisistrato Herod. I, 59—64. Cf. ad strategem. 1 Valer. Max. I, 2. extern. 2. Athen. XIII, 89; ad strategem. 3 Plut. Solon. 29 sq., Diod. Sic. XIII, 95, Justin. II, 8.

Mira ac prope ridicula de Leonida narrat Polyaeus I, 32, 2. Quae hoc loco nobilissimo illi Spartanorum regi adscribuntur, eximiam quandam, ut illis temporibus, raramque doctrinam et

<sup>1)</sup> Neque causis illis, quas disputavit Wölfflin. in praef. p. 7 sq., satis excusatum putaverim Polyaeum de turbato rerum, quas memorat, ordine aliisque id genus peccatis, quae et plurima sunt et singillatim ibid. notata. Debuit nimirum Polyaeus, ne in meritas reprehensiones incurreret, quae raptim scripserat, antequam foras darentur, retractare et corrigere. Quam legem si sibi scripsisset, non totidem quidem, quot confecta jactat, confecisset strategemata, sed ea et a rerum tractatione et a genere dicendi multo probabiliora summamque ea de causa a peritissimo quoque inisset gratiam. Erat enim Graecis litteris haud mediocriter eruditus neque, ut certi quidam opinantur, Latine indoctus, idemque multa et multiplici lectione rerum utilium cognituque dignarum copia instructissimus. Sic jam Polyaeus, etsi neque ingenii acie neque subtilitate judicii admodum vigeat, si modo veritati studisset totumque animum atque diligentiam in rebus tractandis posuisset, talia certe conscribere potuit, quorum lectio antiquitatis studiosis perquam utilis et fructuosa esset. Secus tamen placuit homini Macedoni.



prudenciam redolent, qua imbutum fuisse Leonidam, quem ut acerrimum libertatis propugnatorem, ita in physicis certe alienum meritissimo dixeris, vix aut ne vix quidem credibile est. Verum „credat Judaeus Apella, non ego.“ Nec magis in Leonidam, qualem quidem ad historiae fidem descriptum illum novimus, conveniunt ea, quae ibid. §. 3 relata legimus; id quod Haase, quo erat ingenii acumine, perspexit, non sine causa suspicatus ille, hoc strategema non minus quam illud, de quo modo dictum est, attribuendum esse Pericli. Talia enim, qualia Polyaeus l. c. commemorat, belli Peloponnesiaci temporibus non ita raro accidisse constat, in dubio tamen relinquendum est, quo loco res, quam Polyaeus narrat, acciderit.

Videamus de I, 40, 9, ubi rerum, quas refert, auctore Polyaeus usus est Diodoro XIII, 50, cujus ipsa verba partim exscripsit. Sed quae Diodorus iudicio composuit, pessime corrupit et depravavit Polyaeus. Etenim Pharnabazum, qui testibus Diodoro l. l. et Xenophonte in Hell. I, 1, 14 sq., quorum quidem de hac re narrationes paululum inter se differunt, a Lacedaemoniis stabat, in pugna Cyzicena Atheniensium socium fuisse sive mentitus, sive, quod ego quidem crediderim, alucinatus falso retulit. Ceterum conf. ad l. c. Plut. Alcib. 28, Frontin. II, 5, 44, Schneider. ad Xen. Hell. I, 1, 16, qui plura de hac pugna disputavit.

De Polyae. I, 41. Haase probe observavit, quae duobus Archidamis assignanda erant, quorum alter Zeuxidami (vid. Thuc. II, 19. Pausan III, 7, 10), alter Agesilai filius erat, in unum, nescio utrum, esse collata. Patet vero, strategema 3, quo de Spartanis terrae motu exterritis commemoratur, ad Zeuxidami filium pertinere, cetera omnia autem referenda esse ad filium Agesilai. Ac de §. 3 vid. Plut. Cimon. c. 16. cf. Thuc. I, 101 sq., Diod. XI, 63, Aelian. V. H. VI, 7; ad §. 1 conf. Xen. Hell. VII, 1, 31, si quidem veri est simillimum, l. c. significari proelium ad Mideam commissum, in quo alia etiam miracula accidisse Xenophon l. l. testis est. Cf. praeterea Diod. XV, 72 et Frontin. I, 11, 9. Quae leguntur §. 2. quo spectent, non liquet, sed §. 4 sine dubio pertinet ad Xen. Hell. VII, 4, 23—25, pariterque ejusdem cap. strategema 5. ad Xenophontis narrationem referendum est. Nam quod vulgo legitur: ἐπὶ Κάρως, vel, quod praetulit Coray: ἐπὶ Κάρως, falsum esse apparet suoque jure<sup>1)</sup> Heringa in observatt. critt. p. 155: ἐπὶ Καρύως scribendum censet. Qua recepta scriptura nulla jam est dubitatio, quin Polyaeus l. c. ea respexerit, quae in Xenoph. Hellenicis VII, 1, 28 breviter strictimque dicta sunt; ad quem locum vid. Schneider.

Ejusdem confusionis exempla diligenter congesta proposuit Wölfflin. praef. p. 8, ex quibus hoc unum in medium profero, ut superioris quasi quaedam accessio sit. Confunduntur V, 2 duo Dionysii, Syracusarum tyranni. Atque in aperto est, ea, quae §§. 4, 7, 8 referuntur, ad Dionysium minorem spectare, cetera strategemata ad unum omnia esse Dionysii majoris. Errat autem Polyaeus §. 4 ea in re, quod Hermocratem maritum sororis Dionysii fuisse ait (τὸν δὲ Ἑρμοκράτην καθεῖρεν, ἄνδρα ὄντα τῆς ἀδελφῆς κ. τ. λ.); namque Areten, Dionysii minoris sororem, nuptam prius Dioni, uxorem posterius duxit Timocrates. De qua re vid. Plut. Dion. c. 21. Contra Aelian. V. H. XII, 47 Areten, Dione marito ex Sicilia expulso, invitam a fratre nuptum datam esse Polycrati, Dionysii satelliti, tradit. Falso. De §§. 7 et 8 infra pluribus dicemus.

<sup>1)</sup> Heringae conjecturam probavit Wölfflin.



Praemissis his, in quibus varia genera comparent vitiorum, quibus Polyaeus scriptor laborat, reliqua, quae quidem memoratu digna videantur, jam eodem ordine, quo edita sunt, deinceps persequemur.

Temere Polyaeus I, 4 id, quod Plut. Thes. c. 5 de Abantibus memorat, Theseo ascribit. Refert haec: *Θησεύς ἐν ταῖς μάχαις τὰ πρόσθεν τῆς κεφαλῆς ἀπεκείρειτο, τῶν τριχῶν τὴν ἀντίληψιν ἀφαιρούμενος. Μετὰ Θησεά, ὅσοι Ἕλληνες οὕτως ἐκείροντο. — Ζηλοῦσι τὴν κουράν μάλιστα δὴ Ἕλλήνων Ἄβαντες.* Jam audiamus Plutarchum l. l. haec narrantem: *Ἐθους δὲ ὄντος ἔτι τότε τοὺς μεταβαίνοντας ἐκ παιδῶν, ἐλθόντας εἰς Δελφοὺς ἀπάρχεσθαι τῷ θεῷ τῆς κόμης, ἦλθε μὲν εἰς Δελφοὺς ὁ Θησεύς, καὶ τόπον ἀπ' αὐτοῦ τὴν Θησεϊαν ἔτι νῦν ὀνομάζεσθαι λέγουσιν· ἐκείρατο δὲ τῆς κεφαλῆς τὰ πρόσθεν μόνον, ὥσπερ Ὀμηρος (v. Jl. II, 542) ἔφη τοὺς Ἄβαντας. — Οἱ δὲ Ἄβαντες ἐκείραντο πρῶτοι τὸν τρόπον τοῦτον — ὄντες πολεμικοὶ καὶ ἀγγέμαχοι, καὶ μάλιστα δὴ πάντων εἰς χεῖρας ὠθεισθαι τοῖς ἐναντίοις μεμαθηκότες. — Ὅπως οὖν μὴ παρέχοιεν ἐκ τῶν τριχῶν ἀντίληψιν τοῖς πολεμίοις, ἀπεκείραντο.* Patet ex his, affictum esse Theseo a Polyaeo, quod ad Abantes pertinet. Theseum, quum in proelium iret, crines adversos sibi abraderi solitum esse, Plutarchus ne leviter quidem significat.

Ad Polyaeum I, 6 confer Pausan. IV, 3, 3, qui rem longe aliter narrat. Polyaeus haec scripsit: *Κρεσφόντης βουλόμενος τῆς Μεσσηνίας, ὡς ἀρίστης, κρατῆσαι, γνώμην ἀπαγορεύει. „Ααχῶν ὁ πρῶτος καὶ ὁ δεύτερος ἐλέσθω Σπάρτην ἢ Ἄργος· Μεσσηνίη δ' ἔστω τοῦ τρίτου.“ Ἐπεισθήσαν, καὶ τοὺς κλήρους καθῆκαν· οἱ μὲν ἐκ λίθου λευκῆς, ἐς κάλπιν ὕδωρ ἔχουσαν· Κρεσφόντης δὲ βώλου λευκῆς ὁμοίας λίθῳ. Ἡ μὲν δὴ βῶλος ἀντίκα ἐτήκετο· οἱ δὲ τῆς λίθου κλήροι προελθόντες, ἔδωκαν Ἄργος Τημένῳ, Σπάρτην τοῖς Ἀριστοδήμῳ παισὶ. Κρεσφόντης Μεσσηνίην τέχνη λαβῶν τύχῃ λαβεῖν ἔδοξεν.* Contra ea Pausanias, ut paucis complectar, quae ille fusius perscripsit, de hac re refert, Cresphontem, quum Dores Temeno Argos assignassent, terram Messeniam ab illis sibi depoposcisse. Theram vero, quippe qui tutelam filiorum Aristodemi gereret, erat enim eorum avunculus ex matre, illi vehementer adversatum esse. Quare Cresphontem, ut Messeniam obtineret, precibus adisse Temenum, cui, conciliata sibi ejus voluntate, commisisse sortitionem. Quo facto Temenum in sitellam aqua completam sortes Aristodemi filiorum et Cresphontis conjecisse, re ita constituta, ut sors utra prior exisset, illi Messenia adjudicaretur. Sortem autem filiorum Aristodemi ex argilla sole siccata, Cresphontis e coctili laterculo factam esse. Sic soluta illa per hanc, utpote quae constitisset, Cresphonti obtigisse Messeniam. Haec quo differant ab iis, quae de eadem re Polyaeus tradit, nihil opus est, pluribus dicere. Differentia nimirum ejusmodi est, quae neminem facile fugiat.

De Salamine Atheniensium imperio iterum subjecta duplex memoria prodita est. Alii enim, ut Plut. Solon. c. 8. cf. c. 9, Valer. Max. V, 3. ext. 3., insulam illam a Solone receptam esse retulerunt; quibus accesserunt Polyaeus I, 20, 2 et Aelian. ib. VII, 19. Cf. Pausan. I, 40, 5. Alii contra, velut Aeneas Poliorc. c. 4, Frontin IV, 7, 44. Justin. II, 8. amissam Salaminem a Pisistrato Atheniensibus restitutam esse tradunt. Res admodum dubia et controversa est. Id tamen est certissimum, Solonem non tam virtute bellica promptaque ad subeundum omne discrimen audacia, quam consilio et prudentia fuisse insigniorem. Talis vero expeditio, qualis l. c. descripta legitur, militis manu fortis est paratique extrema omnia experiri, cujus generis fuisse constat Pisistratum. Ingenium Solonis, quem quidem pacis magis, quam belli artibus eluxisse noverimus, ad suscipienda ejusmodi pericula admodum propensum fuisse, nihil sane est, unde satis probabiliter conjici possit.

Nimirum aliud est magna et audacia consilia comminisci et mente agitare, aliud inita consilia fortiter exsequi. Quae animum inclinant, ut credam, recuperandae quidem Salaminis auctorem et suasorem recte perhiberi Solonem (vid. Polyae. ib. §. 1), sed recuperatae insulae laudem multo rectius tribui Pisistrato.

Discrepat Polyaeus I, 30, 2. cum ceteris omnibus rerum scriptoribus, qui eandem rem memorarunt, de nuncio a Themistocle ad Xerxem ante pugnam Salaminiam misso. Habet haec: ἦν αὐτῷ Σίκιννος εὐνοῦχος παιδαγωγὸς τοῖν παιδῶν, νύκτωρ τὸν Σίκιννον τοῦτον ὡς βασιλέα πέμπει κ. τ. λ. Herod. VIII, 75: Σίκιννον, οἰκέτην καὶ παιδαγωγὸν τῶν Θεμιστοκλέος παιδῶν istum hominem perhibet. Plut. Themistocel. c. 12. haec scripsit: ἦν δὲ τῷ γένει Πέρσης ὁ Σίκιννος αἰχμαλώτος, εὐνοῦχος δὲ τῷ Θεμιστοκλεῖ, καὶ τῶν τέκνων αὐτοῦ παιδαγωγός. Cf. Diod. XI, 17: ἔπεισέ (ὁ Θεμιστοκλῆς) τινα πρὸς τὸν Ξέρξην αὐτομολῆσαι καὶ διαβεβαιώσασθαι κ. τ. λ. Iterum Polyae. ibid. §. 3: πέμπει ὡς βασιλέα εὐνοῦχον ἄλλον Ἀρσάκην. Similiter Plut. ibid. c. 16: πέμπει τινα τῶν βασιλικῶν εὐνοῦχον ἐν τοῖς αἰχμαλώτοις ἀνευρών, Ἀρνάκην ὄνομα, φράζειν βασιλεῖ κελεύσας κ. τ. λ. Idem in vit. Aristid. c. 9: πέμπει πάλιν Ἀρνάκην εὐνοῦχον (sic a se ipse dissidens refert inter se pugnantia) ὁ Θεμιστοκλῆς ἐκ τῶν αἰχμαλώτων, κρύφα φράσαι τῷ βασιλεῖ κελεύσας κ. τ. λ. Diod. XI, 19: τὸν παιδαγωγὸν τῶν ἰδίων υἱῶν ἀπέστειλε πρὸς τὸν Ξέρξην κ. τ. λ. Corn. Nep. Themistocel. c. 4 et Justin. II, 12 et 13 servum a Themistocle ad Xerxem missum esse consentiunt. Atque Justinus quidem eundem servum, cujus nomen ipse pariter ac Nepos tacet, missu Themistocelis bis ad regem ivisse commemorat praeceunte Herodoto, qui VIII, 75, itemque ibid. c. 110 servum illum Σίκιννον vocat. Haec variant de ea re scriptores, quorum neminem merito dixeris auctorem locupletiore Herodoto, quod inter eos, qui illorum temporum historiam reliquerunt, aetate proximus erat et unus omnium maxime floret veritatis laude. Sed mittamus Polyaei eunuchos.

Victoriam, quam Polyaeus I, 39, 1 a Nicia ex Corinthiis relatam memorat, Thucydides IV, 42 et Diodorus XII, 65, accuratius ille, hic brevius, narrant; de militibus vero, quos Polyaeus a Nicia in insidiis collocatos dicit, uno consensu tacent, neque abest suspicio, quin insidiae illae fictae sint.

Parum accurate relata sunt, quae leguntur I, 43, 2: Πιστεύει Νικίας, καὶ ἀναμείνας ἕως ὄρθρου, τὸ στρατόπεδον οὐκ ἐκίνησεν. Ἐρμοκράτης τοὺς Συρακονσίους, ἅλις ἐχοντίας ὕπνου, ἀνέστησεν εὐρώστους· οἱ δὲ, προκαταλαβόντες τὰς διαβάσεις τῶν ποταμῶν καὶ τὰς γεφύρας, πανωλεθρία τοὺς Ἀθηναίους διέφθειραν. Neque enim, quod quidem ex Polyaei verbis necessario colligitur, postridie ejus diei, quo Syracusani ob partam victoriam navalem vino somnoque obruti jacebant, sed tertio demum post pugnam navalem die Athenienses discesserunt confectoque aliquot dierum itinere ad flumen Assinarum partim ad internecionem caesi, partim, ut Nicias et Demosthenes, capti sunt. Vide quae de hac re accuratius scripserunt Thuc. VII, 73 sqq. Plut. Nic. c. 26 sqq. Diodor. XIII, 18 sqq. Cf. Frontin. II, 9, 7. De nuncio vel, ut alii perhibent, nunciis ad Niciam ab Hermocrate missis discrepat inter ceteros omnes et inter Polyaeum, qui quidem transfugam (αὐτόμολον) missum esse tradit, consentientem secum de ea re habens unum solum Frontinum, qui l. c. haec scripsit: „in castra transfugam misit.“ Cujus verba Polyaeus Graece expressisse videtur. Contra Thuc. l. l.: πέμπει τῶν ἐταίρων τινὰς τῶν ἐαυτοῦ μετὰ ἑππέων πρὸς τὸ τῶν Ἀθηναίων στρατόπεδον. Plut. l. c.: ἔπεμψε τινὰς τῶν ἐταίρων πρὸς αὐτόν. Diod. l. c. ἀπέστειλέ τινὰς τῶν ἑππέων ἐπὶ τὴν παρεμβολὴν τῶν Ἀθηναίων. Hac de re satis.



Falsum est, quod refragantibus ceteris omnibus rerum scriptoribus, qui quidem ipsi quoque de navium conservatarum numero miris modis inter se dissident, Polyaeus I, 45, 2 tradit, unam navem Atheniensium captis reliquis ex clade ad Aegospotamos accepta aufugisse. Diodor. XIII, 106: de tiremibus decem fuga evasisse ait unaque ex his vectum Cononem desperato Athenas reditu, quum populi iram atque furorem pertimesceret, ad Euagoram, Cypri principem, profugisse. Pausan. IX, 32, 9: ὀρμούντων δὲ νασὶν ἑκατὸν ἐν Αἰγὸς ποταμοῖς Ἀθηναίων, εἶλεν αὐτῶν τὰς πλείους. Idem III, 11, 5 decem naves ex clade abductas numerat. Xen. Hell. II, 1, 28 haec habet: ἡ δὲ Κόνωνος καὶ ἄλλαι περὶ αὐτὸν ἐπιτὰ πλήρεις ἀνήχθησαν καὶ ἡ Πάραλος, τὰς δ' ἄλλας πᾶσας Λυσάνδρος ἔλαβε πρὸς τῆ γῆ. ib. §. 29: Κόνων δὲ ταῖς ἐννεα νασὶ φεύγων, ἐπεὶ ἔγνω τῶν Ἀθηναίων τὰ πράγματα διεφθαρμένα, κατασχὼν ἐπὶ τὴν Ἀβαρτίδα, τὴν Λαμψάκων ἄκραν, ἔλαβεν αὐτόθεν τὰ μεγάλα τῶν Λυσάνδρου νεῶν ἰστία: καὶ αὐτὸς μὲν ὀκτώ νασὶν ἀπέπλευσε παρ' Εὐαγόραν ἐς Κύπρον, ἡ δὲ Πάραλος ἐς τὰς Ἀθήνας, ἀπαγγελοῦσα τὰ γεγονότα. Ad quos locos vid. Schneider. Xenophonti assentiens Plut. Lys. c. 11 Cononem cum octo navibus elapsam esse narrat. Pariter idem in vit. Alcib. c. 37. Facit cum Xenophonte et Plutarcho Justin. V, 6: „Quum dux Conon eo proelio superfuisset solus, crudelitatem civium metuens, cum octo navibus ad regem Cyprium concedit Euagoram.“ A quibus omnibus dissidens Frontin. II, 1, 18 scripsit: „universas naves cepit.“

Variae multisque rebus inter se discrepantes de Byzantio ab Atheniensibus duce Alcibiade capto feruntur narrationes, sed in ea re Xenoph. Hell. I, 3, 14 seqq., Plut. Alcib. c. 31, Diodor. XIII, 66 seq., quibus astipulatur Frontin. III, 11, 3, ad unum omnes consentiunt, quod disertissime et planissime dicunt, Byzantium captum esse ab Alcibiade, non a Thrasylo, ut tradit Polyaeus I, 47, 2, quem quidem jam alibi eo progressum socordiae cognovimus, ut conniventibus oculis ne evidentissima quidem videret.

Immerito Cononi magnam eamque, ut praeunte Quinctiliano ita dicam, decretoriam victoriam navalem tribuit Polyaeus I, 48, 2: Κόνων δὲ τοῦ παντὸς ἔργου τὴν νίκην ἀπηνέγκαστο. Quod longe secus esse declarat Diod. XIII, 77 seq. Quo teste Conon nihil aliud quam naves aliquot Peleponnesiorum, quae longius provectae erant, repente adortus laceravit et corrupit, ut inutiles essent ad pugnandum. De ejusmodi victoria, qua de summa rerum decretum fuerit, a Callicratida reportata ne cogitandum quidem est. Immo vero Lacedaemonii, etsi primo quidem repentino hostium impetu perturbati erant, mox tamen receptis ex terrore animis Atheniensibus tantum ipsi incusserunt pavorem, ut tota eorum classis in portum Mitylaeum se reciperet. Quo facto Callicratidas triginta navibus potitus urbem ipsam oppugnavit validaque impedimenta ad obstruendum portus ostium ab hostibus objecta dissolvere conatus est. Post longum acerrimumque certamen Callicratidas, quum quiete suos recreasset, redintegrato proelio Athenienses statione depulit. Quae quum ita sint, victoria illa, quam Conon peperit, de rerum summa nullo pacto potuisse decerni luce clarius est.

Partim eorum, quae ex Xenoph. Hell. I, 6, 18 seqq. transcripta sunt, corrupta falsaque reperiuntur ap. Polyaeus I, 48, 4. Nam quae medio die facta esse dicit Xenoph. ib. §. 20: (ἐπειδὴ ἤδη μέσον ἡμέρας ἦν, καὶ οἱ ἐφορμούντες ὀλιγώρως εἶχον καὶ ἐνιοὶ ἀνεπαύοντο, ἐξέπλευσαν ἔξω τοῦ λιμένος κ. τ. λ.), Polyaeus sub vesperum gesta esse refert: ἐσπέρας προσιούσης Θεασάμενος τοὺς παραφυλάσσοντας, ἀνὰ τὴν γῆν ἐσκαδασμένους, καὶ δὴ τότε ἀφῆκε τὰ σκάφη. Neque verum est, quod idem tradit, utramque navem effugisse (ἄμφω δὲ ἐσώθη). Diserte enim



Xenophon dicit, alteram duarum navium captam esse. Verba ejus haec sunt: *ἐσβάντες δὲ ἐδίωκον τὴν ἐς τὸ πέλαγος ἐφορμήσασαν, καὶ ἅμα τῷ ἡλίῳ δύνοντι κατέλαβον.*

Exemplorum, quae ex libro primo attuli, agmen claudat I, 34, 1; quem male praetermissum locum huc adjicio. Congruit Polyaeus l. c. cum Thucydide I, 100 et cum Plutarcho in vit. Cim. c. 12 hac in re, quod pugnam navalem ad Eurymedontem fluvium a Conone commissam esse ait; errant enim, qui de pugna navali apud Cyprum facta memorant, Diodor. XI, 60 et Frontin. IV, 7, 45. Idem tamen falsus est in eo, quod devicta Persarum classe Cyprios Cimonis callido consilio deceptos et superatos esse scripsit. Nam reportata illa de barbaris victoria Cimon non in Cyprum insulam vela direxit, sed adversus copias barbarorum pedestres, quae apud Eurymedontem castra posuerant, profectus est. Confudit haud dubie Polyaeus locos duos (cc. 60 et 61.) Diodori, qui c. 60 pugnam navalem apud Cyprum, pedestrem ad Eurymedontem commissam c. 61. dicit additque Cimonem postero die statuto tropaeo in Cyprum avectum esse. Contraria prodens Polyaeus Cimonem ad Eurymedontem proelio navali, terrestri in Cypro insula cum hostibus congressum superasse tradit. Utrumque, alterum altera ratione, errasse testes sunt Thucydides et Plutarchus, qui uno uterque consensu Cimonem ad Eurymedontem duplicem victoriam eodem die a Medis reportasse apertissime dicunt<sup>1)</sup> strategema illud, quo Polyaeus assentientibus Diodoro c. 13. et Frontino l. c. Cimonem ad fallendos hostes usum esse narrat, eodem praetereuntes silentio.

His perlustratis videamus de libro II. Parum accurate scripsit Polyaeus II, 1, 4: *Ἀγησίλαος ἐν Κορωνείᾳ Ἀθηναίους ἐνίκησεν.* Disertissime nimirum planissimeque perscripta haec inveniuntur in Xenophontis Hell. IV, 3, 15: *ἦσαν δὲ οἱ μὲν ἀντιτεταγμένοι τῷ Ἀγησίλαῳ Βοιωτοὶ, Ἀθηναῖοι, Ἀργεῖοι, Κορίνθιοι, Αἰνιᾶνες, Εὐβοεῖς, Λοκροὶ ἀμφότεροι<sup>2)</sup>.* Cf. Diod. XIV, 84: *Ἀγησίλαος — ἐπειδὴ μετὰ τῆς δυνάμεως ἐπέβαινε εἰς Βοιωτίαν, εὐθὺς οἱ Βοιωτοὶ μετὰ τῶν συμμάχων ἀπήντησαν εἰς Κορώνειαν.* Pausan. III, 9, 18: *Ἀγησίλαος δὲ Θεσσαλίαν τε διεξῆλθε τρεψάμενος ἀντὶ τὸ ἑπικλόν, καὶ αὐτὸς διὰ Βοιωτῶν διᾶδενσε Θηβαίους ἐν Κορωνείᾳ καὶ τὸ ἄλλο νικήσας συμμαχικόν.* Vid. praeterea Plut. Agesil. 18 sq. Corn. Nep. Ages. c. 4. Qui omnes una mente atque voce conclamant, Polyaei illud: *Ἀθηναίους ἐνίκησεν* parum convenire ad rem. Debebat vero Polyaeus scribere aut: *Θηβαίους καὶ τοὺς συμμάχους αὐτῶν*, aut exemplum secutus Xenophontis: *Βοιωτοὺς, Ἀθηναίους, Ἀργεῖους κ. τ. λ.*, quod longum erat, aut: *τοὺς σὺν Θηβαίοις.* Certe quidem Boeoti, quippe quorum potissimum res in illo discrimine ageretur, ante omnes, quos memorat Polyaeus, nominatim proferendi erant.

Dictum illud, quod Polyaeus II, 1, 6. Agesilao ascripsit, Agidis, Archidami filii, fuisse affirmat Woelflin. praef. p. 8., auctorem appellans Plutarchum in apophthegm. Lacon. *Ἀγιδος τοῦ Ἀρχιδάμου* 12. Perperam. Nam quod Polyaeus l. c. scripsit: *Ἀγησίλαος τοῖς φεύγουσι τῶν πολεμίων δίδοναι διδόναι παρήγγειλεν*, minime referendum esse ad Agin, ex iis apparet, quae ap. Plutarch. l. c. relata legimus. Sunt vero haec: *Συμβουλευόντος δὲ τινος, ὅτι δεῖ τοῖς φεύγουσι τῶν πολεμίων δίδοναι διδόναι. Καὶ πῶς, ἔφη (Ἄγης), τοῖς διὰ δειλίαν φεύγουσι μὴ μαχόμενοι, τοῖς δὲ ἀνδρείαν μένουσι μαχεσόμεθα.* Ex quibus intelligitur, Agin ipsum plane contraria de tractandis hostibus et sensisse et dixisse. Agesilao autem utrum recte meritoque dictum illud tribuatur, necne, pro certo non constat, neque valent

<sup>1)</sup> Taceo de Corn. Nepote, qui in vit. Cim. c. 2, nescio qua occaecatus caligine, Cimonem apud Mycalen navali terrestrique proelio vicisse memoriae prodidit.

<sup>2)</sup> Eisdem Xen. Ages. c. 2. nominatim commemorat.

ad rem probandam, quae ap. Polyae. II, 1, 19 leguntur (cf. Frontin. II, 6, 6.). Nam l. c. Thebanis per mediam Lacedaemoniorum aciem perrumpentibus non tam ut servarentur, quam ut fugientes quam minimo Agesilai damno perirent, viam apertam esse reperimus. Ceterum idem, quod Polyaeus Agesilao, Scipioni Africano assignat Frontin. IV, 7, 16: „Scipio Africanus dicere solitus est, hosti non solum dandam esse viam fugiendi, sed etiam muniendam. Conf. Veget. Renat. de re militari III, 21: „Ideoque Scipionis laudata sententia est, qui dixit, viam hostibus, qua fugiant, muniendam.“

Ex Plut. Ages. c. 9 et c. 10 sumpta atque confusa sunt, quae ap. Polyae. II, 1, 9. perscripta invenimus: Ἀγησίλαος ἐπὶ τὰς Σάρδεϊς ἐλαύνων καθῆκε λογοποιούς ὡς, ἐξαπατῶν Τισαφέρνην, στέλλεται μὲν φανερώς ἐπὶ Λυδίας, τρέπεται δὲ ἀφανῶς ἐπὶ Καρίας. Ἠγγέλη ταῦτα Τισαφέρνη, Ὁ μὲν Πέρσης ὤρησε Καρίαν φυλάττειν· ὁ δὲ Λάκων κατέδραμε Λυδίαν, καὶ λείαν πολλὴν κατέσχευεν. Ad quae conf. Plut. l. l. c. 9.: εὐθὺς οὖν ἀμυνόμενος ἀπάτη δικαίᾳ τὴν Τισαφέρνην ἐπιπορκίαν, ἐπέδειξεν, ὡς ἐπὶ Καρίαν προάξων· ἐκεῖ δὲ τοῦ βαρβάρου τὴν δύναμιν συναθροίσαντος, ἄρας εἰς Φρυγίαν ἐνέβαλε κ. τ. λ. Consentit cum Plutarcho Xenophon. Hell. III, 4, 12 seq.: ὁ δὲ Ἀγησίλαος, ἀντὶ τοῦ ἐπὶ Καρίαν ἵεναι, εὐθὺς τάναντία ἀποστρέψας ἐπὶ Φρυγίας ἐπορεύετο. Pergit Plut. ib. c. 10: καιροῦ δ' ὄντος αὐθις ἐμβαλεῖν εἰς τὴν πολεμίαν, προεῖπεν, εἰς Λυδίαν ἀπάξειν, οὐκέτι ψευδόμενος ἐνταῦθα τὸν Τισαφέρνην, ἀλλ' ἐκεῖνος ἐαντὸν ἐξηπάτησε, διὰ τὴν ἔμπροσθεν ἀπάτην ἀπιστῶν τῷ Ἀγησίλαῳ, καὶ νῦν γοῦν αὐτὸν ἄψασθαι τῆς Καρίας νομίζων —. ἐπεὶ δ' ὡς προεῖπεν, ὁ Ἀγησίλαος ἦκεν εἰς τὸ περὶ Σάρδεϊς πεδίον, ἠναγκάζετο κατὰ σπουδὴν ἐκεῖθεν αὐτὸ βοήθειν ὁ Τισαφέρνης κ. τ. λ. Cf. Xen. ib. §§. 16 et 20 sq. Diod. XIV, 80<sup>1)</sup>. Jam vero res, si quaerimus, haec est: Agesilaus, quum priorem expeditionem suscepturus esset, falsum rumorem sparsit, in Cariam se profecturum; profectus autem est in Phrygiam. Idem, antequam alteram faceret expeditionem, aperte dixit, iturum se in Lydiam, quo ivit re vera. Polyaeus contra Agesilaum subdito de petenda Caria rumore arma in Lydiam intulisse narrat motus, nisi fallor, auctoritate Frontini, apud quem I, 8, 11. haec perscripta sunt: „Agesilaus Lacedaemonius, quum inferret bellum Tisapherni, Cariam se petere simulavit —. Per hanc consilii ostentationem advocato in Cariam Tisapherne, ipse Lydiam — irrupit oppressisque qui illic agebant, pecunia regia potitus est.“

Cum Xenophontis narratione, qualis in Hellen. IV, 6, 6. de Agesilai expeditione adversus Acarnanes suscepta legitur, parum conveniunt, quae de eadem re Polyaeus II, 1, 10 tradit. Xenophon l. l. haec refert: ἐπεὶ δὲ ἐδόκουν τῷ Ἀγησίλαῳ πάνν ἤδη θαλάσσειν, ἡμέρα πέμπτη ἢ ἕκτη καὶ δεκάτη ἀφ' ἧς εἰσέβαλε, θυσάμενος πρῶτ', διεπορεύθη πρὸ δειλῆς ἐξήκοντα καὶ ἑκατὸν στάδια ἐπὶ τὴν λίμνην κ. τ. λ. Ad quae conf. Polyae. l. c.: ὁ δὲ ἑκατὸν ἐξήκοντα στάδια ὀλίγω μέρει τῆς νυκτὸς διαδραμῶν, ἀρχομένης ἕω, καταλαβὼν ἐν τῷ πεδίῳ τοὺς Ἀκαρνᾶνας κ. τ. λ. Qui loci allati quibus rebus inter se differant, in aperto est. Nimirum Polyaeus, qui quidem πρὸ δειλῆς cum θυσάμενος junxisse videtur, noctu iter factum esse dicit. Falso. Nam teste Xenophonte Agesilaus confecto magno itinere diurno Acarnanes inopinantes aggressus est. Discrepant etiam, quae extrema leguntur. Polyaeus enim, quum simpliciter refert, Agesilaum magnam hominum et pecorum aliarumque rerum multitudinem praedatum discessisse, idem haud dubie significat, Spartanos et Achaeos parta illa praeda statim abisse. Quod secus esse declarat Xenophon l. l.

<sup>1)</sup> Recte et ordine Corn. Nep. Ages. c. 3. hanc rem retulit.



§. 8. diserte dicens, Agesilaum postero die exercitum abduxisse. Vid. de hoc loco Schneider ad Xenoph. I. c. §. 6.

Quae narrat Polyæn. II, 1, 12. coll. ib. §. 25, ubi eadem expeditio paulo aliter itaque memoratur, ut narratio cum Xenophonte melius conveniat, variis modis perscripta inveniuntur ap. Xenoph. in Hell. V, 4, 49 sqq. et ap. Diodor. XV, 34. De quibus vid. Schneider ad Xen. I. I. §. 51 et Wesseling ad Diod. I. c. Ac Polyænus I. c. §. 12. valli fossaeque, quibus auctore Xenophonte Thebani a tergo tegebantur, non magis meminit, quam Diodorus, superiora tamen supplens §. 25. et vallum et fossam commemorat.

Partim eorum, quae de seditione Sparta exorta Plut. Ages. c. 32. et Polyæn. ib. §. 14 scripta reliquerunt, inter se discrepant. Polyænus haec refert: *αὐτὸς δὲ μόνος ἄοπλος ἀτρέπτω καὶ φαιδρῶ τῷ προσώπῳ πρὸς τὸν λόφον ἐλθὼν, „Οὐκ ἐνταῦθα (ἔφη), ὦ νεανία, ὑμᾶς ἔταξα· ἀλλ' ὑμεῖς μὲν ἐς τὸνδε τὸν λόφον (ἕτερον δείξας), ὑμεῖς δὲ ἐς τὸδε τὸ χωρίον ἄπιτε καὶ φρουρεῖτε.“ Οἱ δὲ Λάκωνες, ὡς ἀγνοοῦντος τὴν διάνοιαν αὐτῶν τῆς ἀποστάσεως, κατηδέσθησαν· καὶ οἱ προσέταξεν εὐπειθῶς ἀνεχώρησαν. Νύκτωρ δὲ τοὺς ἐξάρχους τῆς στάσεως, ἄνδρας δώδεκα, ἄλλον ἄλλη ὑπεξάγων ἔπαισε τὴν στάσιν. Jam audiamus Plutarchum haec narrantem: *αὐτὸς δ' ἐν ἱματίῳ καὶ μεθ' ἐνὸς οἰκέτου προσήει βοῶν, ἄλλως ἀκηροῦναι τοῦ προστάγματος αὐτοῦς· οὐ γὰρ ἐνταῦθα κελεύσαι συνέλθειν, οὐδὲ πάντας, ἀλλὰ τοὺς μὲν ἐκεῖ (δείξας ἕτερον τόπον), τοὺς δ' ἀλλαχόσε τῆς πόλεως. οἱ δ' ἀκούσαντες ἤσθησαν, οἰόμενοι λανθάνειν· καὶ διαστάντες ἐπὶ τοὺς τόπους, οὓς ἐκεῖνος ἐκέλευσεν, ἀπεχώρουν. ὁ δὲ τὸ μὲν Ἰσώριον εὐθὺς μεταπεμψάμενος ἑτέρους κατέσχε· τῶν δὲ συστάντων ἐκείνων περὶ πεντεκαίδεκά τινας συλλαβῶν, νυκτὸς ἀπέκτεινεν. Nihil opus est pluribus exponere, quibus rebus Polyænus a Plutarcho hic dissideat. Res ipsae loquuntur. Ceterum conf. quae Corn. Nep. Ages. c. 6. de eadem re commemoravit.**

Praepostera scripsit Polyæn. II, 2. Etenim res tempore posteriores praemissae inveniuntur iis, quae prius ab eodem duce gestae sunt. Apparet autem, omnia illa, quae de Clearcho consociatis, quas comparaverat, copiis cum Cyro Artaxerxi bellum faciente referuntur, servata rerum serie iis adjungenda et annectenda fuisse, quae de rebus apud Byzantium gestis deque crebris Clearchi incursionibus in Thracum fines factis enarrantur<sup>1)</sup>. De Clearcho, Cyri adversus fratrem bellantis socio, vid. Xen. Anab. inde a I, 1, 9 usque ad II, 6, 15., Diod. XIV, 12 et 19—26; de rebus ejus ante gestis v. Xen. Hell. I, 1, 35 et I, 3, 15 (ad quos locos vid. Schneider) ejusd. Anab. I, 1, 9. I, 3, 3 seqq. II, 6, 1—6; Diod. XIII, 66 seq. cf. XIV, 12., Plut. Artax. c. 6.; Frontin. III, 5, 1.

Nova et a rei gestae fide plane aliena produntur de Thebis Spartanorum et optimatum dominatione liberatis II, 3, 1: *Ἐπαμινώνδου τῆς γυναικὸς ἠγάσθη Φοιβιάδης*, (sic; infra II, 5, 2. idem suo nomine *Φοιβίδας* appellatur) *φρουρῶν τὴν Κάδμεϊαν κ. τ. λ.* At vero Epaminondas nullam unquam duxit uxorem; id quod notissimum est et planissime disertissimeque relatum legitur ap. Corn. Nep. Epamin. cc. 5 et 10. Ne multa; absurda sunt, quae Polyænus I. c. memoriae prodidit. Similia neque ea probabiliora ex alio, nescio quo, scriptore de Pelopida patriae liberatore referuntur II, 4, 3: *καὶ τὸν φρουραρχὸν ἀνελὼν ἠλευθέρωσε τὰς Θήβας*. Phoebidam h. l. tacet Polyænus, idque rectissime. Namque illo jam tempore, quo Thebae in libertatem vindicatae sunt, Cadmea non a Phoebida, quem constat paulo post, quam arcem occupaverat, ab exercitu remotum

<sup>1)</sup> Pluribus id genus exemplis afferendis supersedeo. Sunt enim permulta et quaerenti ubique fere prompta et obvia.



esse (vid. Plut. Pelop. c. 6. Diod. XV, 20. Corn. Nep. Pelop. c. 1), sed a tribus harmostis, qui a Plutarcho in vit. Pelop. c. 13. (cf. eund. de Genio Socr. c. 34) Ἑρμιππίδας, Ἀρκίσσος, Ἀσσανορίδας (alii legunt: Ἀσσανορίδας) nominantur, custodita est. Ac teste Diodoro XV, 27 duces praesidii, quum in Peloponnesum revertissent, ab iratis Spartanis in jus vocati duoque de iis capite damnati sunt, tertio autem tanta multa irrogata est, ut solvendo non esset. Pari modo Plutarch. in Pelop. c. 13. Hermippidam et Arcissum ad supplicium datos esse, Lysanoridem pecunia multatum ex Peloponneso profugisse refert. Cum his dissentiens Xenophon in Hell. V, 4, 10 unum arcis praefectum commemorat eumque, quod non exspectatis auxiliis praesidium deduxisset, a Lacedaemoniis supplicio affectum dicit ib. §. 13. Utcunque se res habet, φρούραρχον non interfectum esse a Pelopida, ut memoriae prodidit Polyaeus, certum est. Vid. Schneider ad Xen. Hell. V, 4, 4.

Suffragante Pausania IX, 13, 8. Polyaeus II, 3, 2. narrat Thespienses abeundi potestate facta, si qui pugnare nollent, ex Thebanorum castris concessisse. Contra quos Xenophon in Hell. VI, 4, 9. dicit, ante proelium illos discessisse quidem, qui pugnam detrectarent, sed repulsos esse in Thebanorum castra a sociis Spartanorum. Quod male omisit Polyaeus.

A vero abhorrent, quae leguntur II, 3, 5: Ἐπαμινώνδας ἐνέβαλεν εἰς τὴν Λακωνικὴν, καὶ οἷός τε ἦν διαρπάσαι τὴν Λακεδαιμονίων πόλιν· ἀλλὰ μεταγνοῦς, οὐχ ἀψάμενος τῆς πόλεως, ἀνέξεν. Suo jure negavit Maasvicius Epaminondam capere et diripere potuisse Spartam eaque intacta discessisse. Teste enim Diodoro XV, 65. Epaminondas multis suorum amissis ab oppugnatione urbis desistere coactus est.

Portenta et miracula ante pugnam Leutricam facta commemorant Xen. Hell. VI, 4, 7 et Diod. XV, 53 seq.; cf. Cic. de divin. I, 34. Similia habet Polyaeus II, 3, 8; sed quae arma Xenophon et Diodorus ex Herculis templo prodigio divinitus facto sublata tradunt, Cicero autem humi inventa dicit, ea ipse Epaminondae consilio, ut Thebanorum animi confirmarentur et excitarentur ad pugnam cum Lacedaemoniis fidentius committendam ab Herculis sacerdote noctu sumpta atque detersa templi parietibus rursus affixa esse perhibet. Frontinus I, 11, 16 simpliciter breviterque dicit, arma ab Epaminonda ex templo subtracta esse. Conf. Plut. Pelop. c. 20. Pausan. IX, 13. Simile strategema Epaminondae ab aliis scriptoribus praetermissum legitur ap. Polyaeus II, 3, 12.

Quae de Epaminondae expeditione adversus Spartanorum urbem noctu suscepta commemorat Polyaeus II, 3, 10, partim apud alios rerum auctores non exstant. Tradit enim ille Agesilaum cognito ex transfugis Epaminondae consilio hostem cum exercitu et praevenisse et excepisse forti intrepidoque animo. Tali modo Thebanos irrumpentes a Lacedaemoniis repulsos esse et, quum noctu fugere cogentur, multos abjecisse scuta. Quo viso Epaminondam, ut ii, qui scuta abjecerant, omni eximerentur criminatione, edixisse, ne quis hoplitarum ipse scutum portaret, sed armigeris (τοῖς ὑπασπισταῖς) aliisve administris traderet; ipsi vero cum solis hastis et ensibus ducem sequerentur. Sic multitudinem eorum, qui arma abjecerant, latuisse et Epaminondae ad futura pericula ob hoc beneficium alacrius obsequentes se praebuisse. De qua re nulla alibi mentio usquam facta est. Vid. Xen. Hell. VII, 5, 9—14, ibique Schneider, Plut. Ages. 34. Cf. Polyb. IX, 8, 5, sq. qui quidem refert Epaminondam primo impetu urbis partem aliquam cepisse et ad forum usque progressum esse; sed elapso ad Agesilaum transfuga et appropinquante exercitu Agesilai, coactum re infecta redisse. Diod. XV, 82 seq. discrepat cum ceteris, quod Agidi tribuit, quod illi Agesilao, cui dicit creditam fuisse urbis custodiam. Falso. Vid. etiam Frontin. III, 11, 5, qui eandem rem aliunde narrat ob eamque ipsam causam multum differt a ceteris omnibus.

Ex iis, quae Xenophon in Hell. III, 1, 20 seqq. de Midia, Scepsis tyranno, a Dercyllida dominatione exuto memorat, suum composuit strategema Polyaeus II, 6, recedens tamen ab illius auctoritate et testimonio. Vid. Schneider. ad Xen. I. I. et Maasvic. ad Polyaeus. I. c.

Discrepat Polyaeus II, 7 cum Xenophonte in Hell. V, 4, 56, ubi vid. Schneider. Scripsit ille: *πεπληρωκὸς ναῦς πολλὰς*. Contra ea Xenophon: *ἐπληρώσατο τρεῖς τριήρεις*, tacitum idem relinquens illud strategema, quo Polyaeus suffragante Frontino IV, 7, 19 Alcetam Lacedaemonium usum esse ait.

Mera somnia esse videntur, quae de Gythio ab Isada recepto referuntur II, 9. Vid. Xen. Hell. VI, 5, 32 (ib. Schneider.), Plut. Ages. c. 34. Aelian. V. H. VI, 3. Qui omnes de Gythio recepto deque assumptis ab Isada centum aequalibus tacent.

Parum recte Polyaeus II, 10, 5. Cleandridae Spartano, duci Thuriorum, tribuit, quod dictum est Lysandri, celebratum illud per totam antiquitatem literisque mandatum a Plutarcho in apophthegm. reg. et imp. s. v. Lysand. 2.

Quae scripta legimus II, 15 de Hippodamante, praeconi fame se premi tecte significante, breviter tetigit Xen. Hell. VII, 4, 20 sq., multoque accuratius narrat Callisthenes ap. Athen. X, 75; sed ille neque de Hippodamante vel Hippodamo, neque de Prasiis meminit, hic de Cromno quidem cum Xenophonte consentiens Hippodamum nominat. Idem apertissime dicit, Famis imaginem pictam in Apollinis templo fuisse, non in Minervae Chalcioecae (vid. de ea Pausan. X, 5, 11. cf. Athen. XIII, 34 p. 574 d.) fano, ut scripsit Polyaeus. Vid. quae de hoc Polyaei loco annotavit Schneider ad Xen. I. I.

Ad Xen. Hell. V, 1, 25 seqq. spectant, quae referuntur II, 24. Sed in rerum narratione Polyaeus cum Xenophonte vehementer discrepans falsa tradit et a rerum fide aliena; id quod Heringa I. c. p. 123. probe observavit et Schneider ad Xen. I. I., qui plura disseruit de hoc Polyaei loco atque ostendit, quae quantaque in re tractanda ille peccaverit. Quem volo de ea re consulas.

Quae de Thasiis ab Atheniensibus obsessis memorantur II, 33, pertinent ad Thuc. I, 101. Verum incertum est, unde repetita sit fabella illa de Hegetoride Thasio, quem narrat Polyaeus laqueo cervicibus injecto in concionem venisse civesque suos obsecrasset, ut istam legem abolerent, qua capitis poena proposita Thasii vetabantur rogare, ut foedus cum Atheniensibus perenteretur. Nam qui multi esse solent minimeque parci in afferendis ejusmodi fabellis, Frontinus et Aelianus, non minus hac de re tacent, quam alii, quorum evolvi libros. Itaque res in medio relinquenda est.

De Tisameno quae refert Polyaeus II, 37, pariter fere relata inveniuntur ap. Frontin. I, 2, 8; qui quidem eundem Tisamenen Orestis filium esse dicit narrationem suam sic concludens: „itaque circumducto exercitu elusit insidiatores.“ Qua in re dissentit scriptor Latinus cum Polyaeo, cujus extrema de Tisameno verba haec sunt: *τοῖς ἐγκαθημένοις ἐπιθέμενος, κατέκοψε τοὺς λοχῶντας Ἴωνας*.

Hinc antequam ad libr. III. transeamus, haud praetereundae videntur frequentes eorundem strategematum repetitiones. Factum est enim, ut Polyaeus, nescio consulto diversisque usus auctoribus, an memoria destitutus, eandem rem paucis mutatis bis terve enarraret. Cujus rei haec profero exempla: II, 3, 1 et II, 4, 3. II, 1, 12 et ib. §. 25. (de quibus locis vid. Schneider ad Xen. Hell. V, 4, 51). III, 9, 5, 6 et 42. ib. 46 et 50. ib. 49 et 54. III, 10, 4, 6, 12 (vid. de his Schneider ad Xen. Hell. V, 4, 65.), ib. 13 et 17. III, 11, 9, 10, 12 (vid. Schneider ib. V,



1, 12.), VII, 6, 1 et VII, 45, 2, VII, 6, 5 et 8, VIII, 23, 15 et 22. De frequenti eorumdem strategematum repetitione, observata illa jam Casaubono, vid. Koen. praef. ad Greg. Cor. p. 27., Blume l. c. p. 7 seq., Woelfflin. praef. ad Polyæn. p. 10.

Ficta partim esse, quae III, 1, 1. scripta inveniuntur, testes sunt Thuc. IV, 3 et Diod. XII, 61. Narrat Polyænus haec: *Ἀημοσθένης, Πύλου Λακωνικῆν φρουρὰν ἐχοῦσης, ἐπλευσεν ἐπὶ τὴν Ἄκραν*<sup>1)</sup>. Neque vero Thucydides, nec Diodorus memorat Pyli Lacedaemonios in praesidio collocatos fuisse; immo vero disertissime haec apud Thucydidem scripta sunt: *Καὶ ὁ Ἀημοσθένης εὐθὺς ἤξιον τευχίζεσθαι τὸ χωρίον (ἐπὶ τούτῳ γὰρ ξυνεκπλεῦσαι), καὶ ἀπέβαινε πολλὴν εὐπορίαν ξύλων τε καὶ λίθων, καὶ φύσει καρτερόν ἦν καὶ ἐρημον αὐτό τε καὶ ἐπὶ πολὺ τῆς χώρας.* Neque evidens est, quid velit sibi Polyæni illud: „ἐπὶ τὴν Ἄκραν“ (Vultejus, interpres Latinus, haec sic expressit: „navigavit ad Acram.“) Videtur autem Polyænus de loco quodam Messeniae, nomine Acra, cogitasse, qui nullus unquam fuit. Neque ullum unquam, quod quidem sciam, Messeniae promontorium proprio Acrae nomine notatum apud veteres scriptores reperitur. Ne plura; ἡ Ἄκρα Polyænea ex male intellecto Thucydidis loco ducta est. Thucydides enim hoc modo pergit: *Οἱ δὲ (Eurymedon et Sophocles) πολλὰς ἐφασάν εἶναι ἄκρας ἐρημον τῆς Πελοποννήσου, ἣν βούληται καταλαμβάνων τὴν πόλιν διαπαντῶν.* Ex quo loco intelligitur, Ἄκραν, quam dicit Polyænus, nihil aliud esse, quam Coryphasium promontorium, commemoratum illud a Pausania IV, 36, 1., ejus ipsa verba exscribere non alienum videtur: „Ἔστι δὲ ἐκ Μοθώνης ὁδὸς σταδίων μάλιστα ἑκατὸν ἐπὶ τὴν ἄκραν τὸ Κορυφάσιον· ἐπ’ αὐτῇ δὲ ἡ Πύλος κεῖται.“ Quibuscum convenient haec Thucydidis: *καὶ ἔστιν (ἡ Πύλος) ἐν τῇ Μεσσηνίᾳ ποτὲ οὖση γῆ, καλοῦσι δὲ αὐτὴν οἱ Λακεδαιμόνιοι Κορυφάσιον.* His expositis apparet, illud strategema, quo usum esse Demosthenem ad occupandam Pylum Polyænus refert, hujus esse inventum usitatumque artificium, quo hic ut alibi res simpliciter nulloque adhibito strategemate gestas ita conformavit et protulit, ut strategematis alicujus species iis imposita adhaereret.

Spectant ad Thuc. II, 91, quae leguntur ap. Polyæn. III, 4, 3. Sunt vero, de quibus discrepet inter utrumque. Neque enim Phormionem navi illa Atheniensi, quam Polyænus *πύραλον* dicit, vectum esse, neque praeter eam, quae depressa est teste Thucydidem, alteram quoque navem, ut perhibet Polyænus, perisse repentino impetu apud Thucydidem scriptum invenimus. Addidit nimirum Polyænus et variavit, quae in rem suam esse putaret.

Eadem veritatis indiligentia, qua Polyænus in rebus tractandis esse solet, comparet III, 5: *Κλεισθένης Κιβήραν ἐπολιόρκει. Μάντευμα ἦν Κιβηραίοις, ἀνάλοτον ἔσεσθαι τὴν πόλιν, ἕως ἂν ψαύσῃ τῆς ἑρᾶς γῆς ἢ θάλασσα. Οἱ μὲν Κιβηραῖοι κατεφρόνον, πλείστον ἀπέχοντες θαλάττης. Ἡ δὲ Κιβήρα τῆς ἑρᾶς γῆς ἔψανε, καθηκούσης ἐπὶ θάλατταν. Ὁ Κλεισθένης, τὸ μαντεῖον μαθὼν, καθιέρωσε τῷ θεῷ τὴν τε πόλιν καὶ τὴν χώραν τὴν Κιβηραίαν, ἵνα πᾶσα ἑρὰ γενομένη, κατὰ τὸν χρησμὸν, ψαύσειε τῆς θαλάττης. Τοῦτο πράξας ἐκράτησε καὶ ἀνέθηκε τὴν χώραν τῷ θεῷ.* Jam vero, si quae hic leguntur, Polyæni manu, quod equidem dubitaverim, scripta sunt, in definiendo locorum situ vehementer eum errasse manifestum est. Neque enim longissime aberant a mari Cirrhaei, neque ager dei Delphici sacer mare attingebat. Namque ager sacer a mari interjecto oppido agroque Cirrhaeo sejunctus erat et qui ad mare usque pertinuisse dicitur ager, idem ille Cirrhaeus est, quem Clisthenes, Sicyoniorum tyrannus, auctore et suasore Solone, de quo quidem Polyænus tacet, Apollini eo demum tempore consecravit, quo observato ita oraculi responso

<sup>1)</sup> Sic omnes praeter Woelfflin, qui edidit: *ἐπὶ τὴν ἄκραν*; dubito, num satis firmatus codicum auctoritate.



Cirrho erat potiturus. Quibus rebus adductus jam receptas velim, quas Blume l. c. p. 12 et 14 proposuit, conjecturas. Conjecit autem vir doct. pro: „Οἱ μὲν Κιρραῖοι κατεφρόνονν) πλείστον ἀπέχοντες θαλάττης“ legendum esse: „ἀπεχούσης θαλάττης“ (sc. ab agro sacro) et pro: „(Ἡ δὲ Κιρρὰ τῆς ἱερᾶς γῆς ἔψανε) καθήκουσα ἐπὶ θάλατταν“ sic: „(Ἡ δὲ Κιρρὰ τῆς ἱερᾶς γῆς ἔψανε) καθήκουσα ἐπὶ θάλατταν.“ His ita mutatis omnia quadrant. Quo magis miror, Woelfflinum, qui nuperrime Strategemata edidit et diligentem se impigrumque alibi praestitit eorum emendatorem<sup>1)</sup>, in vulgata scriptura acquievisse. Ceterum cont. ad hunc Polyaei locum Pausan. X, 37, 6. qui dissidens ab illo Amphictyonibus, non Cirrhacis oraculum datum esse memorat.

Strictim et quasi praeteriens monuerim eadem fere, quae de Iphicrate, antequam pugnae periculum iniret, trepidos timidosque, quos vidit, milites dimittente apud Polyaei. III, 9, 1. perscripta sunt, legi ap. Plut. Timol. c. 25. de Timoleonte, ap. Diodor. XI, 81 et ap. Plut. apophthegm. reg. et imp. s. v. Myronid. de Myronida. Cf. Polyaei. III, 10, 3 et III, 11, 8. Quae unde ducta sint, parum exploratum habemus.

Iphicrati tribuit Polyaeus III, 9, 4, quod teste Xenophonte An. II, 2, 20 ad Clearchum pertinet. Idem commemorarunt Aeneas Poliorc. c. 27 et Artemidorus Oneiroc. V, 12.

Pariter assignat Polyaeus III, 9, 30. Iphicrati, quod Aristoteles Oeconom. II, 4 Hippiae Atheniensi ascripsit. Vid. ib. Schneider. Quam rem leviter attigit Boeckh „Staatshaush. d. Ath.“ 2. Ausg. B. II. p. 92.

Dictum illud Iphicratis: „Οὐ στρατηγικὸν τὸ, Οὐκ ᾤμην“, quod affert Polyaeus. III, 9, 27 (cf. Plut. apophthegm. reg. et imp. Iphicr. 2), Valerius Maximus VII, 2, 2. Scipioni Africano, Seneca de ira II, 31. Fabio tribuit. Sed haec ad rem propositam minus attinent.

Ad Polyaei. III, 9 24 conferendus est locus Diodori XIV, 91, ex quo cognoscitur, Iphicratem Phlasiis plus trecentis caesis exercitum Sicyonem versus duxisse consertoque ante muros oppidi proelio quingentos Sicyoniorum occidisse. De insidiis, quas Polyaeus Iphicrati paratas esse a Sicyoniis perhibet, nullam Diodorus facit mentionem. Ceterum ad eandem expeditionem, quam praeter Diodorum etiam Xenophon. in Hell. IV, 4, 15 commemorat<sup>2)</sup>, pertinere videntur, quae ap. Polyaei. III, 9, 49 et 54 relata legimus. Vid. de hac re Schneider. ad Xen. l. l. De expeditione ipsa vid. praeterea Aristid. Panath. T. I. p. 299 ed. Canter.

Partim falsa sunt, quae leguntur III, 9, 29: Ἰφικράτης προδοσίας δίκην ἔφευγεν. Ἀριστοφῶν καὶ Χάρης ἐδίωκον· αἰτία δὲ ἦν, ὅτι ἄρα περὶ Ἐμβάτια (quae constans librorum scriptura est), δυνάμενος ἐλεῖν τοὺς πολεμίους, οὐ διενανμάχησεν. Eandem rem narrant Diodor. XVI, 21 et Corn. Nepos in vit. Timoth. c. 3 et Iphicr. c. 3; ita tamen ut alter ab altero non minus dissideat, quam dissidet ab utroque Polyaeus. Dissidet is enim, siquidem probandum est, quod Corayus legi vult, Ἐμβατον, provocans ad Thuc. III, 29: κατέπλευσαν ἐς Ἐμβατον τῆς Ἐρυθραίας (schol. τὸ στενὸν τὸ μεταξὺ Χίου καὶ Ἐρυθρᾶς) et cum Diodoro et cum Corn. Nepote, qui ipsi quoque inter se pugnant, de loco, quo ea, quae referuntur, acciderunt. Nepos enim in vit. Timoth. c. 3. scripsit, apud Samum insulam rem gestam esse. Idem vero consentit in vit. Iphicr. c. 3. cum

<sup>1)</sup> De misera Strategematum, qualia ad nos pervenerunt, conditione et forma quid opus est dicere? Res enim est notissima.

<sup>2)</sup> Tacet tamen Xenophon de rebus apud Sicyonem gestis. Erant enim Lacedaemoniis, quos diligebat, parum honorificae.

Polyaeno de Iphicrate proditiōnis absoluto, strategema tamen, quo Polyaeus, astipulatorem testemque ejus rei nactus Senecam in contrōv. VI, 5., eum usum esse tradit, tacitum relinquit. Diodorus autem pariter et a Polyaeo et a Corn. Nepote de pugnae loco dissentit. Quae apud Diodorum leguntur, haec fere sunt: „Atheniensium praetores contractis copiis ad obsidendum Byzantium animos attenderunt. Sed quum Chii sociique foederis Sami obsidione soluta ad tuendos Byzantios se convertissent, omnes copiae navales ad Hellespontum convenerunt. Jamque prope erat, ut proelio navali decertaretur; quum subito ingens tempestas ingruens coepta turbavit et impedivit. Dumque nihilominus, etiam adversante et repugnante natura, Chares configendum censet, Iphicrates autem et Timotheus propter vim tempestatis incepto ejus obsistunt: Chares militum fidem obtestatus collegas proditiōnis inculat litterisque Athenas missis datam rei bene gerendae facultatem ab illis consulto dimissam et proelium turpiter detrectatum esse queritur. Qua re exacerbati cives actionem utrique intendunt multisque talentis multatos ab imperio removent.“ Haec Diodori expressa verba sunt, ex quibus non minus, quam ex locis illis Nepotis, qui quidem ipse in errore est, dilucide intelligitur, non ad Embatum, sed in Hellesponto utrorumque classes depugnandi causa congressas esse.

Idem Iphicratis strategema, quod perscriptum invenitur ap. Polyae. III, 9, 33., Frontinus I, 4, 7 accuratius enarrat. Aliud ejusdem ducis strategema ad idem tempus referendum affert Polyae. III, 9, 44. De quibus locis vid. Schneider ad Xen. Hell. IV, 8, 39.

Quae Polyae. III, 9, 43 refert, nonnihil discrepant cum ejusdem rei narratione, quae est in Xenophontis Hellenicis IV, 5, 3 seq. Vid. ib. Schneider.

Ad III, 9, 45 conf. Xen. Hell. IV, 4, 9 seq. et Diodor. XIV, 86., cf. ib. 91. A quibus auctoribus multis rebus dissidet Polyaeus. Vide Schneider ad Xen. I. c.

Cum causa dubitat Corayus ad Polyae. III, 9, 55 de scriptura: *ἑνδεκά<sup>1)</sup> πληρώμασιν*. Nihil tamen probabilius videtur, quod ipse legendum censet: *ἐν δέκα πληρώμασιν*. Neque temere adducor, ut credam, ita a Polyaeo scriptum esse. Nimirum scripsisset, ut Graeci fere solebant, aut: *δέκα ἔχων πληρώματα*, aut: *δέκα πληρώμασιν*, aut, quod rarius est: *σὺν δέκα πληρώμασιν*, ut Xen. Hell. II, 2, 7. Equidem sic fere existimo, Polyaeum in notando navium numero lapsus esse, nec satis curasse, quod legitur apud Xenoph. in Hell. VI, 2, 33: *ἀκούσας, ὅτι προσπλέοιεν δέκα τριήρεις παρὰ Διονυσίου*. A quo auctore etiam aliis in rebus Polyaeum dissentire locus allatus demonstrat, quem exscribere longum est. Sic, ut rem quam paucissimis absolvam, decem triremium, quas Dionysius Lacedaemoniis auxilio misit, praefectus a Xenophonte l. I. §. 36 Anippus nominatur, a Polyaeo autem Crinippus. Auctorem haud dubie secutus est Polyaeus Diodorum, qui l. XV. c. 47 novem triremes Cissidae et Crinippi ductu e Sicilia a Dionysio Lacedaemoniis subsidio missas esse refert. Itaque veri est simillimum, Polyaeum scripsisse *ἑννέα*, non *ἑνδεκά πληρώμασιν*. Ceterum vid. de hac re Schneider ad Xen. I. l.

Accuratius perscripta sunt apud Aristotelem Oeconom. II, 24, quae Polyaeus III, 10, 1 de Timotheo ex rei numariae difficultate singulari quadam ratione et prudentia se expediente commemorat. Ad Polyae. III, 10, 10, et 14, quibus locis nonnulla inveneris novata, conf. Aristotel. ibid.

Recte, puto, Blume l. c. p. 7. pro *Νικομάχου*, quam scripturam omnes tuentur excepto Woelfflino, legendum esse statuit: *Νικολόχου*, de quo mentionem facit Xenophon in Hell. V, 4, 65, ubi idem proelium navale leviter tangitur, quo Timotheum cum Lacedaemoniis contendisse narrat

<sup>1)</sup> Woelfflin retinuit: *ἑνδεκά*.



Polyaenus III, 10, 4. Cf. III, 10, 12, quo loco idem Nicolochus commemoratur totumque strategema accuratius perscriptum invenitur, et III, 10, 4, ubi eadem res, sed minus accurate, refertur. Cf. Frontin. II, 5, 47 ad hunc locum. De tota re vid. Schneider ad Xen. I. c.

Quae III, 10, 13 iterumque ibid. §. 17 relata legimus, spectant ad Xen. Hell. V, 4, 66, ita tamen ut cum narratione Xenophontea minus congruant. Vid. Schneider ad Xen. I. l.

Novo nomine a Polyaeno III, 11, 5 nuncupatum esse Aegyptiorum regem, quocum Chabrias adversus Artaxerxem cognomine Mnemonem fecit, Corayus bene observavit. Quamquam discrepat de eo etiam inter alios scriptores eosque multo certiores. Nam quem Plutarch. Ages. c. 36, alibi, Diodor. XV, 92, Aelian. V. H. V, 1, Athen. XIV, 6. Tachum nominant, eundem Aristoteles in Oeconom. II, 25 Tachum vocat. Polyaeus, nescio quo firmatus testimonio, regem illum Aegyptiorum mutato nomine Thamum appellat. Alia ejusdem generis exempla haec sunt: Polyaeus. IV, 2, 2 duces Atheniensium ad Chaeroneam depugnantium Stratoctem fuisse dicit dissentiente Diodoro, apud quem I. XVI, 88 scriptum est, Lysiclem exercitui Atheniensium praefuisse. Similiter Polyaeus. IV, 8, 2: *Τενταμάτης*, Diodor. XVIII, 59 et 62 et Plut. Eum. c. 13: *Τεύταμος* (quam scripturam recepit Woelfflin.). Polyaeus. IV, 3, 27 Phrasaortem memorat repugnantibus Diodoro XVII, 68., Arriano expedit. Alex. III, 18, 3., Curtio V, 3, 12. qui eundem hominem una voce Ariobarzanem nominant. Atque Arrianus I. c. testis est, Phrasaortem illo jam tempore in amicis Alexandri fuisse. Quem Polyaeus. V, 19. *ἀρχιπειρατήν Ἀνδρῶνα* appellat, Frontinus III, 3, 7 Mandronem vocat, itemque qui ap. Polyaeus. V, 28, 1. *Θέογνις, Ἀθηναίων στρατηγός*, commemoratur, ap. Frontin. IV, 1, 8. Theagenes Atheniensis fuisse perhibetur. Porro Polyaeus. VI, 5. *Αἰσίαν τεραπέζιτην* nominat, Plutarch. Arat. c. 18: *Αἰσίαν*. Agmen claudat VII, 41. *Ἐξαίθρης* (sic omnes praeter Woelfflinum, qui *Ἐξάθρης* dedit), Parthus ille, qui Crassum Surenae fraude circumventum interfecit. Plutarchus, qui in vit. Crassi c. 30—33 eandem rem fusius narrat, Crassi interfectorem *Πομαζαίθρην*, auctor rerum Parthicarum, qui Appiani nomen mentitur, *Μαζαίθρην* vocat. Cf. Drumann, Gesch. Roms IV, p. 108. not. 64. Eadem discrepantia est de nomine regis Parthorum. Polyaeus I. c. eum, si audiamus Corayum aliosque, *Ἡρώδη*, sin Woelfflinum, *Υρώδη* nominavit praeunte Plutarcho I. c. c. 31. alibi. In Dionis Cassii hist. XL, 26 alibi, idem dicitur *Ορωδης*<sup>1)</sup>. Latini, ut Justin. XLII, 4., Vellej. Patere. II, 46, Florus III, 11 2 et 9. IV, 2, 13. 10, 4. 12. 63., Eutrop. VI, 18 ad unum omnes eodem nomine eum appellant Orodem. His non alienum videtur illud adjungere et annotare, Zosimum in hist. Rom. III, 32. de caede Cassiana cum ceteris omnibus rerum scriptoribus dissentire. Scripsit enim, Crassum in ipso proelio captum abductumque apud Persas exstinctum esse.

Quae leguntur III, 11, 6: *Χαβρίας, εἰς Ἑλος τῆς Λακωνικῆς ἐμβάλων νυκτός, τὸν ποταμὸν διαβάς, λείαν πολλὴν λαβὼν, τὴν μὲν ὑπὲρ τὸν ποταμὸν εἰς τὴν φιλίαν ἀπεπέμψατο κ. τ. λ.* parum quadrare perspicuum est. Helos enim oppidum erat prope a mari situm (vid. Pausan. III, 20, 6. cf. III, 2, 7). Ex quo oppidi situ facile intelligitur, nullo pacto de Helotum antiqua patria h. l. cogitandum esse, nedum de Hellade (vide de ea Pausan. III, 20, 6), quae scriptura usque ad Corayum obtinuit, qui quidem emendatione sua loco aperte corrupto parum aptam adhibuit medicinam. Ne plura; scribendum est *εἰς Σελλάσιαν*, quod oppidum Arcadiae finitimum est obviumque ab Attica Lacedaemonem versus proficiscentibus. Vid. Pausan. III, 10, 7. Approbata hac

<sup>1)</sup> Item in libello illo, qui de rebus Parthic. conscriptus Appiani nomine circumfertur.



conjectura<sup>1)</sup>, ejus quidem conjecturae laus Heringae (l. l. p. 125) acumini debetur, omnia jam apte inter se convenire apparet.

Ex iis, quae Xenophon. in Hellen. V, 1, 10 seqq. de Chabria deque clade tradidit, quam ille, quum in Cyprum insulam, ut Euagorae opem ferret, classe veheretur, assumptis peltastis in Aeginam noctu egressus Gorgopae cum Aeginetis et classiariis paucisque Spartanis, qui forte aderant, ad hostes insula depellendos accurrenti ex insidiis intulit, Polyaeus contexit strategema III, 11, 12. Quod quam diversum sit et alienum a narratione Xenophontea, planum est. Apud Polyaeum haec sunt: *Χαβρίας, εἰς Αἴγιναν νυκτὸς καταπλεύσας, τριακοσίους ἄνδρας εἰς τινα τόπον ἐπιτήθειον ἀποβιβάσας, αὐτὸς παρέπλει.* Contra ea Xenophon<sup>2)</sup>: *Χαβρίας — αὐτὸς τῆς νυκτὸς ἀποβὰς ἐς τὴν Αἴγιναν, πρῶτον τῶν Ηρακλείου ἐν κοίλῳ χωρίῳ ἐνήδρευεν, ἔχων τοὺς πελταστὰς. κ. τ. λ.* Redimus jam ad Polyaeum ad hunc modum pergentem: *Οἱ μὲν ἐκ τῆς πόλεως, ἐπεξεληθόντες, τοὺς ἀποβὰς παρετάσσοντο καὶ πολλοὺς ἀνήρουν.* Ad quae conf. Xenophontem haec referentem: *Ἀκούσας δὲ ταῦτα ὁ Γοργώπας ἐβόηθει. — Ἐπεὶ δὲ παρήλλαξαν οἱ πρῶτοι τὴν ἐνέδραν ἐξανίστανται οἱ περὶ τὸν Χαβρίαν, καὶ εὐθὺς ἠκόντιζον καὶ ἔβαλλον. — καὶ οἱ μὲν πρῶτοι, ἅτε οὐδενὸς ἀθροῦσ ὄντος, ταχὺ ἀπέθανον, ὧν ἦν Γοργώπας τε καὶ οἱ Λακεδαιμόνιοι. ἐπεὶ δὲ οὗτοι ἔπεσον, ἐγράπησαν δὴ καὶ οἱ ἄλλοι κ. τ. ε.* In extrema narratione Polyaeus haec dicit: *Ὁ δὲ (Χαβρίας) διὰ τάχους ἐς τὴν πόλιν εἰσέπλευσεν. Οἱ πολῖται, φοβηθέντες μὴ τῆς πόλεως ἀποκλεισθῶσι, καταλιπόντες τὴν πρὸς τοὺς τριακοσίους μάχην, ἀνεχώρησαν ἐπὶ τὴν πόλιν.* Xenophontis extrema de ea re verba haec sunt: *Ἐκ δὲ τούτου οἱ μὲν Ἀθηναῖοι, ὥσπερ ἐν εἰρήνῃ, ἔπλεον τὴν θάλατταν· οὐδὲ γὰρ τῷ Ἐτεονίκῳ ἤθελον οἱ ναῦται, καίπερ ἀναγκάζοντι, ἐμβάλλειν, ἐπεὶ μισθὸν οὐκ ἐδίδον.* Pro! quantula est Polyaei fides.

De pugna navali apud Naxum insulam commissa, quam Xenoph. Hell. V, 4,61 et Plut. Phocion. c. 6 brevissime attingunt, Diodor. XV, 34 sq. autem accuratius descripsit, Polyaeus III, 11, 11 commemorat, sed, ut fere solet, ita, ut Chabriae strategematis aliquid attribuat, quod illi pariter tacent. Quod quo jure fecerit Polyaeus, incertum est, quia longe plurimis locis parum compertum habemus, ex quibus fontibus strategematum argumenta hausta sint. Ipse enim de hac re constantissime silet neque iis, quae singulis libris Strategematum praefatur, ullum addit verbum de scriptoribus, quorum scrinia compilavit. Sic ubique fere operosa lectione fontes illi, ex quibus Polyaei Strategemata fluxerunt, eruendi et perscrutandi sunt, neque eo secius saepissime fit, ut ne diligentissima quidem veterum recognitione expressa vestigia reperiamus eorum, quos ille sibi exscribendos et expilandos sumpsit. Accedit, quod auctorum quorundam, velut Ephori, Timaei, Phylarchi aliorumque libri, quibus Polyaeum usum esse constat, aetatem non tulerunt<sup>3)</sup>. Qua re iudicium de scriptoris fide et auctoritate facienti tanta multis locis affertur difficultas et dubitatio, ut vix aut nulla fere ratione tolli possit. Idem valet de loco, quem supra protulimus. Neque enim idoneis argumentis probari potest, illud strategema, quod Polyaeus Chabriae tribuit, aliunde petitum, an ipsius commentum sit.

<sup>1)</sup> Woelfflin accepta Heringae conjectura scripsit: εἰς Σελλασίαν.

<sup>2)</sup> Omitto, quae ad rem minus attinent.

<sup>3)</sup> De fontibus Polyaei Woelfflin in praef. p. 11 sqq. pluribus dixit. Qui quidem lectionem et recensionem Strategematum ea re valde juvit et sublevavit, quod editioni suae indicem auctoritatum Polyaei adjecit. Sic jam facilis paratusque aditus ad eos locos est, quibuscum singula strategemata conferenda sunt. Quo magis equidem doleo, tale subsidium et adjumentum longe maxima hujus scriptionis parte jam confecta oblatum demum mihi esse.

Quae de Phocione legimus III, 12, Polyaeus ex Plutarchi vita Phocionis c. 24 ita transcripsit, ut in verborum delectu totus ex eo penderet; nisi quod in extrema narratione simplici Phocionis orationi, qualem affert Plutarchus, levi facta mutatione facetam quandam salsamque Atheniensium, qui temeraria bellandi cupiditate illo tempore flagrabant, irrisionem ac reprehensionem aspersit. Scriptum enim est apud Polyaeum: *καὶ γὰρ ὁ στρατηγὸς, ὀγδοηκοστὸν ἔχων ἔτος, μεθ' ὑμῶν κείσομαι*. Apud Plutarchum haec leguntur: *ἐγὼ γὰρ ὁ στρατηγὸς ὀγδοηκοστὸν ἔχων ἔτος ἔσομαι μεθ' ὑμῶν*. Parum recte, si quid video, Casaubonus *ἐκεῖ ἔσομαι* pro *κείσομαι* legendum statuit. Vulgata nimirum scriptura in loci sententiam optime convenit, modo ut *κείσομαι* illud recte explicetur. Significat vero idem, quod *καθῆσθαι* et „jacere“ verbum Latinum quum alibi, tum apud Claudian. de raptu Proserpinae I, 96 „an forte jacentes ignavosque putas, quod non Cyclopia tela stringimus“? Loci sententia igitur haec est: Ego quoque, octogesimum annum agens, vobiscum, qui decrepiti et imbecilli senes estis, invalidus et ignavus una jacebo, id est, et ego et vos ad bellum gerendum pariter inutiles erimus. Quo dicto Phocion civium suorum nimium et temerarium belli ardorem illico extinxit. Namque Athenienses ita moniti et reprehensi cogitationem de expeditione adversus Boeotos suscipienda abjecerunt. Sed de hac re satis.

Memoratu dignus videtur locus III, 14, quo loco Charidemi insidiae Iliensibus paratae narrantur urbisque structo per equum dolo iterata occupatio. De eodem Charidemo accurate scripsit Aeneas Poliore. l. I. c. 24. A quo una alteraque re Polyaeus dissidet. Aeneas enim diserte dicit, hominem illum, qui Ilium prodidit, praefecti urbis famulum fuisse; quod tacet Polyaeus. Quem famulum teste Aenea Charidemus sibi conciliavit eique clandestino colloquio persuasit, ut constituta nocte, quasi praedatum iret, urbe egrederetur. Jussit autem illum nocte, quae inter eos convenerat, equo exire, ut porta equiti penitus aperiretur utque rediens aperta porta introiret. Famulus urbe egressus et cum Charidemo collocutus triginta milites loricatedos pugiones, clipeos, galeas occultas habentes ab eo accepit. Quos ubi male vestitos captivis aliis similes reddidit, silentio noctis ad urbem pervenit portaque propter equum aperta ingressus est. Milites statim, ut intromissi sunt, caedis initium fecerunt caesoque portae custode ad alia immania facinora conversi portis potiti sunt. A quibus quum non longe abesset Charidemus, armatorum ordines e vestigio accurrerunt et urbem occupaverunt. Mox ipse cum universis copiis in captam urbem introiit. Videamus nunc, quae de Charidemo ab Aenea perscripta cognovimus qua ratione persecutus sit Polyaeus. Ne longus sim, paucis rem expediam. Ac primum quae Polyaeus prodit de servo Ilii proditore, parum congruunt cum iis, quae tradidit Aeneas. Scripsit ille: *οἰκέτην Ἰλίου προελθόντα ἐπὶ λείαν συλλαβῶν, μεγάλοις δάροις ἔπεισε (Χαρίδημος) προδοῦναι τὴν πόλιν*. At vero famulum a Charidemo comprehensum esse nullo verbo indicat Aeneas. Deinde idem diserte dicit, famulum equo ex urbe exisse. Contra ea Polyaeus equum famulo quasi captivum a Charidemo datum esse memorat et quos ipse narrat comites a proditore adductos et in vincula conjectos, eos ne novit quidem Aeneas. Sic, ut alia taceam, quae ab hoc tradita accepit, variis modis Polyaeus novavit et immutavit. Ceterum vid. de Ilio ter capto Plut. Sertor. c. 1, de quater capto Ilio Casaubon. ad Aen. Poliore. l. I.

Parum conveniunt, quae ap. Polyaeum IV, 3, 4 de expugnatione Tyri narrantur, cum iis, quae de eadem re Arrian. l. c. II, 18 sqq., Diodor. XVII, 46, Plutarch. Alexandr. c. 24 sq. memoriae prodiderunt. Cf. Curt. de reb. gest. Alex. IV, 3 sq., Droysen, Gesch. Alex. p. 195. Quos locos omnes velim propius inspicias, ut penitus cernas, quam longe absit a vero Polyaei narratio.



Manca admodum et corrupta sunt, quae IV, 3, 9 de Alexandro Hydaspem fluvium exercitum traducente relata legimus. Minime enim citato cursu, ut ait Polyaeus, sed circumspecta demum temporis locique opportunitate multisque et necessariis rebus, quae ad fluminis trajectum pertinebant, diligenter apparatis Alexander partem exercitus Hydaspem secum traduxit. Vid. quae de transitu Hydaspis et accurate et copiose scripta reliquit Arrian. l. l. V, 10 sqq. Cf. Curt. l. c. VIII, 13 sq. Droysen. l. l. p. 386 sqq. Polyaeus l. c. haud dubie auctoritatem Frontini I, 4, 9 secutus est.

Ad Polyaeus. IV, 3, 12. vid. quae referunt de Thebis expugnatis Arrian. l. c. I, 8 et Diodor. XVII, 11. A quibus Polyaeus multis rebus dissentit. Cf. Droysen l. c. p. 85. not. 95. a., qui recte negat, Antipatrum, quippe qui procurator regni in Macedonia relictus esset, obsidioni et expugnationi urbis interfuisse.

Polyaeus. IV, 3, 22 refert Alexandrum, quum trajecto Hydaspe jam in eo esset, ut cum Poro, rege Indorum, pugna decertaret, in cornu sinistro phalangem et elephantos collocatos habuisse. Fallitur. Nullos omnino elephantos in Alexandri exercitu fuisse testantur Arrian. V, 16, Diodor. XVII, 87, Curtius VIII, 14; qui testes omnes, quum de re tacent, iidem pro certo negant, ab Alexandro in cornu sinistro aliave aciei parte constitutos fuisse elephantos. Vid. de hac re etiam Droysen l. c. p. 385.

Nec minus falsum est, quod Polyaeus ibid. scripsit, Pori elephantos ducentos intervallis quinquagenum pedum usque ad cornu dextrum dispositos fuisse. Disertissime enim et planissime haec scripta sunt apud Arrian. V, 15, 9: *ἐνταῦθα ἔτασσε τὴν στρατιὰν, πρώτους μὲν τοὺς ἐλέφαντας ἐπὶ μετώπων, διέχοντα ἐλέφαντα ἐλέφαντος οὐ μείον πλέθρον* i. e. centum pedum spatio. Diodor. l. c. nihil de ea re, nisi hoc dicit: *Πῶρος — τοὺς ἐλέφαντας — κατὰ μέτωπον ἐν ἴσοις διαστήμασιν ἔστησεν*. Curtius autem omissa omni intervallorum mensura haec memorat: „belluae dispositae inter armatos speciem turrium procul fecerant.“ Minus recte igitur iudicat Droysen l. l. p. 394 not. 46., Diodorum et Curtium in eodem cum Polyaeo de ea re esse errore. Nimirum nihil, ex quo intervallorum mensura pernosci et definiri possit, illi tradunt. Ceterum in describendo definiendoque Pori exercitu vehementer discrepare inter rerum scriptores probe observavit Wesseling ad Diod. l. c. Alia omitto. Vide de ipsa pugna, quae Droysen l. l. dilucide, ut solet, atque ordine enarrat.

Praetermissis aliis exemplis, quorum censum alias habeo, jam pauca dicere libet de re fama litterisque pervulgata, quam Polyaeus IV, 3, 25 paulo aliter refert atque Plutarchus in vit. Alex. c. 42; quocum consentit quidem in eo, quod aquam oblatam ab Alexandro siti cruciato repudiatam esse dicit, ceterum tamen cum eodem dissidet. Polyaeus haec habet: *οἱ κατάσκοποι τῆς χώρας, ἐν κοίλῃ πέτρῳ μικρὸν ὑδάτιον εὐρόντες, τοῦτο βαλόντες ἐπὶ κράνος Ἀλεξάνδρου κομίζουσιν. Ὁ δὲ τῇ στρατιᾷ δείξας, ὡς εὐθνημὲν χρῆ φανέντος ὑδατος, αὐτὸς μὴ πῶν ἐξέχευε τὸ κράνος πάντων ὀρώντων*. Nec vero Alexander eo, quod aquam in propinquo adesse demonstrabat, demissos fractosque militum suorum animos excitavit neque voluit quidem tali ratione excitare, sed quod paratum se ostendit ad easdem cum illis molestias perferendas, effecit, ut illi quoque ad durissima quaeque et subeunda et exantlanda promptos se profiterentur. Quod acute vidit sciteque et commode expressit Plutarchus, quem vide. Cf. Arrian. VI, 26. Curt. VII, 5, 10. Frontin. I, 7, 7. Inter quos omnes de loco, quo ea res accidisse memoratur, valde discrepat. Vid. Droysen l. l. p. 261.

A rerum fide veritateque defecit Polyaeus. V, 2, 7, quo loco haec leguntur: *ἐμπεισῶν (Διονύσιος) ταῖς Συρακούσας, τὴν τε ἀκρόπολιν οὐκ ἀπέδωκε καὶ τὴν πόλιν ἀπέλαβεν*. Neutiquam



Dionysius urbem, quam repentina irruptione recuperare cogitabat, facto impetu sub potestatem suam redegit, neque pugna, qua utrimque fortissime acerrimeque pugnatum est, manus illa, quam Dionysius ad occupandam urbem emiserat, superior discessit, sed repulsa a Dione, qui vim illatam vi defendebat, fuga salutem petere et intra castella Insulae, quae vocabatur, se recipere coacta est. Quo proelio recuperata firmiter libertate victores Syracusani tropaeum posuerunt. Vide quae planissime de hac re scripserunt Diodor. XVI, 11 sq. et Plut. Dion. c. 30. Cf. Justin. XXI, 2: „victus (Dionysius) legatos ad Syracusanos mittit — Fit igitur in ipsa urbe anceps proelium: in quo oppidanis multitudine superantibus, Dionysius pellitur.“

Diversa et inter se discrepantia referunt Polyaeus V, 2, 8 et Plutarchus l. l. c. 31. de epistolis post illam pugnam, de qua proxime dictum est, ad Dionem missis. Scripta haec sunt apud Polyaeum: Διονύσιος τοὺς πρεσβευτὰς Συρακουσίων, οὓς κατέσχε, τῆς ὑστεραίας ἀντέπεμψε τοῖς πολίταις· συνηκολούθησαν δὲ αὐτοῖς καὶ γυναῖκες, ἐπιστολὰς φέρονσαι πρὸς Δίωνα καὶ Μεγακλέα παρὰ τῆς ἀδελφῆς καὶ τῆς γυναικὸς, καὶ πρὸς τοὺς ἄλλους Συρακουσίους, ὧν ἦσαν (αἱ) γυναῖκες πολιορκούμεναι. Diodorus l. c. e. 13 breviter scripsit missos esse a Dionysio, qui cum Syracusanis de pace agerent. Plut. l. c. e. 31: κήρυκες δὲ παρὰ τοῦ Διονυσίου κατέβαινον, ἐπιστολὰς πρὸς Δίωνα παρὰ τῶν οἰκείων γυναικῶν κομίζοντες. Polyaeus in hunc modum pergit: ταύτας τὰς ἐπιστολὰς λαβόντες ἐν ἐκκλησίᾳ<sup>1)</sup> φανερώς ἀναγινώσκειν ἤξιοι. Αἱ μὲν ἄλλαι γυναικῶν ἦσαν ἐκεῖται καὶ δεήσεις, μὴ περιδεῖν σφᾶς ἀπολλυμένας, ἀλλὰ διαλλαγῆναι πρὸς Διονύσιον· μίᾳ δὲ ἐπιστολῆς ἔξωθεν ἐγγράπτιο, „Παρὰ Ἰππαρίνου<sup>2)</sup> τῷ πατρὶ“ τοῦτο δὲ ἦν ὄνομα τῷ Δίῳ υἱῷ. Pariter Plutarch.: μία δ' ἦν ἔξωθεν ἐπιγεγραμμένη. Τῷ πατρὶ, παρ' Ἰππαρίνου· τοῦτο γὰρ ἦν ὄνομα τῷ Δίῳ υἱῷ. Annotavit hic Plut. Dionis filium, qui vulgo Hipparinus vocatur, teste Timaeo a nomine matris Aretaeum appellatum esse; de quo nomine ipse quidem addubitat. Rem ipsam hoc modo pertextit: αἱ μὲν οὖν ἄλλαι τοῖς Συρακουσίοις ἀνεγνώσθησαν ἐπιστολαί, πολλὰς ἐκείσας καὶ δεήσεις ἔχουσαι παρὰ τῶν γυναικῶν· τὴν δὲ παρὰ τοῦ παιδὸς εἶναι δοκοῦσαν οὐκ ἐώντων φανερώς λυθῆναι, βιασάμενος ὁ Δίῳ ἔλυσεν· ἦν δὲ παρὰ τοῦ Διονυσίου, τοῖς μὲν γράμμασι πρὸς τὸν Δίωνα, τοῖς δὲ πράγμασι πρὸς τοὺς Συρακουσίους διαλεγόμενον· σχῆμα μὲν ἔχουσα δεήσεως καὶ δικαιολογίας, συγκειμένη δὲ πρὸς διαβολὴν τοῦ Δίῳ· ὑπομνήσεις τε γὰρ ἦσαν, ὧν ὑπὲρ τῆς τυραννίδος ἔπραξε προθύμως, καὶ κατὰ τῶν φιλιῶν ἀπειλαὶ σωμάτων, ἀδελφῆς καὶ τέκνου καὶ γυναικὸς, ἐπισκήψεις τε δεινὰ μετ' ὀλοφνυμῶν· καὶ τὸ μάλιστα κινήσαν αὐτὸν ἀξιούντος μὴ καθαιρεῖν, ἀλλὰ παραλαμβάνειν τὴν τυραννίδα, μηδ' ἐλευθεροῦν μισούντας ἀνθρώπους καὶ μνησικακοῦντας, ἀλλ' αὐτὸν ἄρχειν, παρέχοντα τοῖς φίλοις καὶ οἰκείοις τὴν ἀσφάλειαν. Prorsus alia refert Polyaeus de summa illius epistolae. Sunt vero haec: Τοῦ δὲ γραμματέως τὴν ἐπιγραφὴν ἀναγνόντος καὶ τὴν ἐπιστολὴν ἀνοίξαντος, ὁ μὲν υἱὸς οὐδὲν ἦν γεγραφὸς, Διονύσιος δὲ Δίῳ, φιλικῶς καὶ συγγενικῶς ἐπιστέλλον καὶ μεγάλη ὑπισχνούμενος. Τούτων ἀναγνωσθέντων διεβλήθη πρὸς τοὺς Συρακουσίους ὁ Δίῳ καὶ οὐκ ἔθ' ὁμοίως πιστὸς ἦν· ὃ γε δὴ μάλιστα Διονύσιος ἐσπονδάκει. Apertum est, multa hic a Polyaeo novata et narrationi inserta esse, quae Plutarchus, ex quo si non omnino in sententiis, at in verbis saepe totus fere pendet, ne leviter quidem tetigit.

<sup>1)</sup> Woelflin dedit: ταύτας τὰς ἐπιστολὰς εὐρόντες ἐκκλησίαν φανερώς ἀναγινώσκειν ἤξιοι.

<sup>2)</sup> Woelflin restituit, quod Corayus mutavit, παρὰ Ἰππαρίνου. Vid. ejus annotatt. critt. p. 62, ubi parum recte Theopomp. ap. Athen. X, 436. a. citatur. Nimiram l. c. relatum legimus, Hipparinum Dionysii, non Dionis filium fuisse.

Repletam fuisse illam epistolam, quae nomine ab Hipparino, re vera a Dionysio ad Dionem data erat, gravissimis calumniis tectisque criminationibus, quibus Dion Syracusanis in suspicionem adduceretur, Plutarchus disertissime et planissime perscripsit. Infamatum nimirum voluit Dionysius Dionem insignia ejus de confirmanda dominatione merita commemorando rogandoque, ut tyrannidem minus convelleret, quam potius ipse capesseret. Contra ea Polyaenus tradit, epistolam Dionysii verbis, quae ejus amorem erga Dionem ac familiaritatem significarent, magnisque pollicitationibus fuisse refertam; quo factum esse, ut Dion Syracusanis in suspicionem veniret. Quae nequam vera suspicionis causa fuit. Immo vero suspectum Syracusani habuerunt Dionem, quod, qua erat animi et aequitate et magnitudine, nulla carissimorum, quae in Dionysii potestate erant, pignorum misericordia fractus sororem et uxorem et filium potius adversarii crudelitati atque supplicio relictos esse malebat, quam cedere et reconciliari tyranno. Quam animi firmitatem et constantiam parum assecuti illi Dionem metuere coeperunt, ne victus tandem suorum cura et pietate Dionysio necessitate magis quam voluntate parceret atque etiam pace cum eo aliquando composita se ipsos proderet. Vid. Plut. l. l. c. 32. Jam vero neminem, qui quidem noverit, qua fuerit Dionysius animi ingenique indole, fallat, ea, quae Plutarchus in illa epistola perscripta fuisse memorat, multo magis consentanea esse tyranno, quam quae affert Polyaenus.

Quae narrantur V, 2, 21, cum Aristot. Oeconom. II, 20 conveniunt exceptis verbis extremis: „*δορεάν ἔδοκεν αὐτοῖς μὴδὲ σιταρχίαν.*“ Quae ap. Aristotelem non leguntur. Rem tetigit Diod. XV, 14; dissidens tamen ab utroque de navium numero haec refert: *Διονύσιος δὲ χρημάτων ἀπορούμενος ἐστράτευσεν ἐπὶ Τυρρηνίαν, ἔχων τεύχεα ἑξήκοντα.* Aristoteles enim et Polyaenus navibus centum in Tyrrheniam navigasse Dionysium consentiunt. Aelian. V. H. I, 20. omisso navium numero falso scripsit: *πλεῖσας εἰς Τροίξηνους.*

Variatam memoriam de duobus Pythagoreis, quos fidelissima amicitia inter se junctos et veteres et recentiores scriptis carminibusque celebraverunt, refert Polyaenus V, 2, 22 ita, ut et rebus et nominibus a ceteris omnibus auctoribus dissentiat. Ac primum causam, cur alter eorum a Dionysio morti addictus sit, affert talem, qualem praeter Polyaenum nemo alius, quem quidem noverimus, attulisse reperitur. Leguntur l. c. haec: *Πάριοι, ζηλωταὶ λόγων Πυθαγορείων, διῆγον ἐν τοῖς περὶ Ἰταλίαν χωρίοις. Διονύσιος ὁ Σικελίας τύραννος ἐπεκηρυκτέτο πρὸς Μεταποντίνοὺς καὶ τοὺς ἄλλους Ἰταλιώτας περὶ φιλίας. Εὐήφενος τοῖς προσφοιτῶσι νέοις καὶ τοῖς πατράσιν αὐτῶν γνώμην ἠγόρευε, μὴδαμῶς τυράννῳ πιστεῖν. Διονύσιος ἐπὶ τούτῳ μᾶλλον ἀργίετο ὥστε καὶ λαβεῖν αὐτὸν ὑποχείριον ἐσπούδασεν ἐκ Μεταποντίου διακομιζόμενον ἐς Ῥήγιον. Ἐπεὶ δὲ ἔλαβεν, ἐπὶ τοῦ συνεδρίου κατηγορήσας, ἔδειξεν ἠλίκων δι' αὐτὸν εἶη πραγμάτων ἀφηρημένος. Ὁ δὲ, ὁμολογῶν, δικαίως ἔφη ταῦτα ποιῆσαι· τοὺς μὲν γὰρ εἶναι φίλους αὐτῷ καὶ μαθητὰς, τύραννον (δὲ) οὐδὲ ὄψει γνώριμον αὐτῷ. Ὁ δὲ αὐτοῦ θάνατον κατέγνω.* Ita quidem Polyaenus. Veteres autem, si discesseris ab Hygino, qui fab. 257 scripsit: „*Moerus tyrannum voluit interficere*“, et a Diodoro (excerpt. l. X, 6. ed. J. Bekker), qui insidias tyranno a Phintia structas esse dicit, omnes causam, qua motus Dionysius alterum Pythagoreorum capitis damnaverit, taciti praetereunt. Vid. Cic. de off. III, 10. cf. Tusc. quaest. V, 22, Valer. Max. IV, 7 ext. 1. Jamblich. de vit. Pythag. c. 33. Deinde narrat Polyaenus, sex mensium commeatum Pythagoreo petenti a Dionysio datum esse. Cicero contra paucos sibi dies commendandorum suorum causa eum postulasse dicit. Similiter Valerius Max. Pythagoreum a Dionysio tempus, quo, priusquam periret, domum profectus res suas ordinaret et constitueret, impetrasse memorat. Hyginus autem, ad cuius



arbitrium Schiller, poeta nostras, in omnibus rebus, quae huc pertinent, totum se finxit et accom-  
modavit, l. c. haec scripsit: „A quo (Dionysio) Moerus petit tridui comeatum, ut sororem suam  
nuptui (sic) collocaret, et daret tyranno Selinuntium, amicum suum et sodalem, qui sponderet eum  
tertio die venturum.“ Jamblichus l. c. Phintiam refert orasse, ut, quod diei reliquum esset (*τὸ  
λοιπὸν τῆς ἡμέρας*) sibi concederetur. Nam quod alii perhibent, Phintiam Damone vade dato  
Syraculis peregre profectum esse, idem negat, occidente ejus diei sole illum se stitisse diserte  
dicens. Jam vero, quos attulimus, Ciceronis, Valerii Maximi, Hygini, Jamblichi<sup>1)</sup> loci docent,  
Polyaenum quum hac in re, tum usurpatis novatisque nominibus, quibus duos illos Pythagoreos  
appellavit, a vulgata rei memoria deflexisse. Nominavit enim alterum *Εὐήφρονον*, alterum *Εὐκριτον*.  
Cicero contra, Valerius Max., Diodorus, Jamblichus uno consensu Damonem et Phintiam eos  
vocant, Hyginus autem Moerum et Selinuntium. Qua tandem firmatus auctoritate Polyaenus nova  
illa nomina, quae non memini usquam alibi me legere, induxerit, ambiguum est. Certe quidem  
Jamblichus l. c. c. 36. nomina Pythagoreorum, quotquot notiores erant, recensens Damonem et  
Phintiam Syracusanos commemorat, Euephenum et Eucritum tamen tacitos relinquit<sup>2)</sup>. Ceterum  
tota haec de duobus Pythagoreis narratio non magis idonea est, quae strategematis nomine  
nuncupetur, quam aliae quaedam res eodem nomine prolatae. Solet enim Polyaenus et ea, quae  
turpissimae adulationis, perjurii, injustitiae, crudelitatis exempla sunt, et ea, quae humanitatis  
generosaeque virtutis esse recte dixeris, eodem strategematis nomine nuncupare. Reprehensus est ea de  
re a Mursinna praef. ad Polyaen. et a Corayo l. c. p. 5 sq., excusatus a Woelfflino praef. p. 6, ut ego  
quidem judico, injuria. Namque infamia et turpia suadere et proponere imitanda turpe et infame est.

Cujusmodi unum in medium profero exemplum, ut, si qui sint, qui Polyaenum ignorent, uno  
in conspectu videant, et qualia in strategematis ille duxerit et quae M. Aurelio, ut taceam de L.  
Vero, homine perditissimo, qui iidem ab ipso multa cum veneratione *Ιερώντατοι βασιλεῖς* appellantur,  
rei militaris subsidia ausus sit offerre. Vide modo haec V, 3, 1: *Ἀγαθοκλῆς, Σικελίας τύραννος,  
ὀμόσας τοῖς πολεμίοις, παρέβη τοὺς ὅρκους, καὶ κατασφάζας τοὺς ἀλόνας, ἐπιχλευάζων πρὸς τοὺς  
φίλους ἔλεγεν, „Δειπνήσαντες ἐξεμέσωμεν τοὺς ὅρκους.“* Talia profecto impudentissimi et  
sceleratissimi hominis sunt minimeque digna, quae M. Aurelio, viro probatissimo, magnopere  
commendentur vel ad imitandum proponantur. Sine dubio enim quae vera sunt strategemata,  
turpitudine vacant.

Accedat alterum ejus rei exemplum: V, 3, 4. Quae hic de Ophela, Cyrenarum rege,  
Agathoclis fraude et perfidia oppresso narrantur, discrepant cum iis, quae de hac re Diodor. XX,  
42 et Justin. XXII, 7 tradiderunt. Diodorus quidem de Heraclide, Agathoclis filio, quo adjutore  
Ophelam (Justin: Aphellam) proditum esse Polyaenus memorat, prorsus tacet. Justinus breviter  
dicit, filium Agathoclis ab Aphella adoptatum esse. Ejus opera Ophelam interemptum esse ne  
verbo quidem indicat. Ceterum de Heraclide Diodor. XX, 69 meminit. Cf. Justin. XXII, 5.

De trucidato ab Agathocle Syracusanorum senatu cum Diodoro XIX, 16 ita consentit Polyaenus  
V, 3, 8., ut in singulis rebus ab illo mirum quantum dissideat. Neque enim, quod dicit Polyaenus,  
Tisarchum et Dioclem et Anthropinum<sup>3)</sup> insidias parasse Agathocli, neque hunc magnum illis

<sup>1)</sup> Cf. ibid. c. 27.

<sup>2)</sup> Similia de suis narrant homines orientales. Vid. E. Pocock „specimen historiae Arabum.“ Oxon. 1650.

<sup>3)</sup> Anthropinum tacitum reliquit Diodorus.



commisisse exercitum, ut sociae cuidam civitati, quae ab hostibus oppugnabatur, auxilium ferrent, Diodori testimonio comprobatur, nec fidem ullam Polyaei narrationi addunt ea, quae Justinus XXII, 2 extr. de eadem re breviter scripsit his usus verbis: „veluti reipublicae statum formaturus populum in theatrum ad concionem vocari jubet, contracto in gymnasio senatu, quasi quaedam prius ordinaturus. Sic compositis rebus, immissis militibus populum obsidet, senatum trucidat: cujus peracta caede ex plebe quoque locupletissimos et promptissimos interficit.“

Cum Frontino, quem auctorem, ut opinor, secutus est<sup>1)</sup>, Polyaeus V, 10, 4 discrepat hac re, quod scriptor Latinus III, 10, 5 Agrigentinos, quum obortum a moenibus fumum conspexissent, incensam urbem suam existimasse ejusque defendendae causa a persequendis Poenis destitisse et recurrisse refert. Contra ea dicit Polyaeus, Agrigentinos conspecto fumo a civibus suis hoc signo dato se revocari ratos ad urbem se retulisse.

Aperte falsa sunt, quae Polyaeus V, 11. de Hamilcare, Gesconis fratre, narrat. Damnatus quidem capitis erat Hamilcar tacitis Carthaginiensium suffragiis, sed forte fortuna factum est, ut e vita prius cederet, quam rapi posset ad supplicium. Erat enim Hamilcar in imperio; quare senatus Poenorum securitati suae prospiciens expectandum sibi statuit, dum alter Hamilcar, Gesconis filius, a Sicilia reverteretur. Quorum consilia illius mors praevertit omnia. Vid. Justin. XXII, 3. Confudit Polyaeus haud dubie Hamilcarem cum Hannone, quem regnum appetivisse ob eamque causam capitis poenam subisse pro certo constat. Vid. Justin. XXI, 4; qui quidem ipse longe errat haec referens: „Fili quoque cognatique omnes, etiam innoxii, supplicio traduntur, ne quisquam aut ad imitandum scelus, aut ad mortem ulciscendam, ex tam nefaria domo superesset.“ Verum enimvero et Hamilcar et Gesco servati supplicioque exempti sunt. Vid. de Gescone Plut. Timol. c. 30, Diod. XVI, 81, Boetticher, „Gesch. d. Carthag.“ p. 137 sq.; de Hamilcare Justin. XXII, 2 et 3. Diod. XIX, 71 et 72. Cf. Bender de primariis optimatum Carthaginiensibus p. 11 sq., et quem laudat Woelfflin in praef. p. 9 et 31, C. Fuchs<sup>2)</sup> ad l. c., de quo loco praeterea est, quod cum causa addubites. Nam proeliis vicisse Gesconem, id quod scripsit Polyaeus, neque quisquam alius rerum auctor memoriae prodidit et Plutarchus in vit. Timol. c. 34 omnino negavit. Is enim apertissime dicit, Poenos post cladem ad Abolum fluvium acceptam pacem fecisse cum Timoleonte. Ex quo effici cogique potest, ne per tempus quidem licuisse Gesconi armis et victoriis rem Carthaginiensium multum juvare. De poenis, quas ab adversariis restitutum Gesconem repetivisse Polyaeus narrat, quum, ex quo fonte ista fabella fluxerit, parum compertum habeamus, res in incerto relinquenda est.

De Mamerci supplicio quae V, 12, 2 relata legimus, parum respondent iis, quae de eadem re Plutarchus in vit. Timol. c. 34, unde illa petita sunt, accurate perscripsit. Polyaeus haec habet: *‘Ο μὲν τύραννος ὁμολόγησε κριθῆναι παρὰ Συρακουσίοις, μὴ κατηγοροῦντος Τιμολέοντος. ‘Ο δὲ ὤμοσε μὴ κατηγορήσειν. Ἐπὶ τούτοις ὁ Μάμερκος ἦκεν εἰς τὰς Συρακούσας. Τιμολέων παραγαγὼν αὐτὸν εἰς τὴν ἐκκλησίαν, „Κατηγορήσω μὲν οὐδαμῶς (ἔφη). τούτο γὰρ συνεθέμην· ἀποκτεῖναι δὲ τὴν καχίστην αὐτὸν κελεύω. Τὸν γὰρ πολλοὺς ἐξαπατήσαντα δίκαιον ἂν εἶη καὶ αὐτὸν ἅπαξ ὁμοίως ἐξαπατηθῆναι.“* Itane vero? Sed quis est, cui persuadeatur, Timoleontem,

<sup>1)</sup> De auctoribus Latinis, quibus usum esse Polyaeum alii dicunt, alii negant, vid. Woelfflin praef. p. 14. Cf. C. F. Weber „de Latine scriptis, quae Graeci veteres in linguam suam transtulerunt;“ progr. Cassel. 1835.

<sup>2)</sup> Ejus libellum non habui ad manum.

hominem cognita virtute spectataque fide tam acute ad fraudem dixisse? Atque Mamercum quidem nec falsum esse a Timoleonte, nec deceptum per fidem apertissime testatur Plutarchus l. c. haec enarrans: *Ὁ δὲ Μάμερκος ἐαντὸν Τιμολέοντι παρέδωκεν ἐπὶ τῷ δίκην ὑποσχέν ἐν Συρακοσίαις, μὴ κατηγοροῦντος Τιμολέοντος· ἀχθεῖς δ' εἰς τὰς Συρακούσας, παρελθὼν εἰς τὸν δῆμον, ἐπεχείρει μὲν τινα συγκείμενον ἐκ παλαιοῦ λόγον ὑπ' αὐτοῦ διεξιέναι· θορύβοις δὲ περιπίπτων, καὶ τὴν ἐκκλησίαν ὁρῶν ἀπαραίτητον, ἔθει, ῥίψας τὸ ἐμάτιον, διὰ μέσου τοῦ θεάτρου, καὶ πρὸς τι τῶν βάρθρων δρόμῳ φερόμενος συνέβηξε τὴν κεφαλὴν, ὡς ἀποθανοῦμενος· οὐ μὴν ἐτυχέ γε ταύτης τῆς τελευτῆς, ἀλλ' ἐτι ζῶν ἀπαχθεῖς, ἤντιον οἱ λησταί, δίκην ἔδωκεν.* Ex quibus patet, Timoleonem longe abfuisse ab astuta illa dolosaque agendi ratione, qua abusus eum esse ait Polyaeus. Certe in iis, quae ex Plutarcho protuli, nihil admodum inest neque fallaciae, neque argutiarum, quae ad neglectam violatamque jurisjurandi religionem spectent.

Praetermissis, quae de Pammene Sicyoniorum portu potito a Polyaeo corrupte narrata esse V, 16, 3 ex Frontino III, 2, 10 Oudendorp. ad Frontin. l. c. bene observavit, videamus de Polyaeo. V, 28, 1; ad quem locum conf. Frontin. IV, 1, 8, qui rem aliter refert his usus verbis: „Theagenes Atheniensis, quum exercitum Megaram duceret, petentibus ordines respondit, ibi se daturum; deinde clam equites praemisit, eosque hostium specie impetum in socios retorquere jussit: quo facto quos tum habebat, tanquam ad hostium occursum praepararentur, permisit ita ordinare aciem, ut quo quis voluisset loco consisteret, et quum inertissimus quisque retro se dedisset, strenui autem in frontem<sup>1)</sup> prosiluissent, ut quemque invenerat stantem, ita ad ordines militiae provexit.“ Quae Polyaeus sic fere narrat: Equitibus, quos praemiserat, apparentibus, Theognis (ita dux ille a Polyaeo nominatur) cum tumultu ac perturbatione milites, quasi jam hostes in conspectum venissent, justa loca (*τάξις τὴν προσήκουσαν*) capere jussit. Illi metu hostium perterriti contentione deposita pristinos ordines constituerunt. Qui quum ordines struxissent, Theognis hostes qui visi essent, amicos esse professus: „Vos, inquit, in posterum ordinibus sine seditione servatis eum obtinete quisque locum, quem vobis ipsi attribuistis.“ Quae quantum differant cum narratione Frontini, perspicuum est. Nimirum referente Polyaeo eundem singuli milites in posterum obtinuerunt locum, quem ante seditionem motam tenebant, auctore Frontino eum, quo sua quisque virtute simulato illo imminentium hostium periculo dignos se praebuerant.

Rem ad Panormum ab Alexandro Pheraeo bene gestam summam perscripsit Diodorus XV, 95; de illo strategemate, quo Polyaeus VI, 2, 1. Alexandrum usum esse ait, nihil omnino commemorat.

Loci traditi sunt duo de Cirrhais potione aquae elleboro infectae profluvio laborantibus eaque re expugnatis, alter Pausaniae X, 37, 7, qui ejus facinoris auctorem fuisse refert Solonem, alter Frontini III, 7, 6, ubi relatum legimus, Cirrham Clisthenis medicamento esse oppressam. Quibus auctoritatibus repudiatis Eurylocho captae urbis gloriam Polyaeus VI, 13. assignat respiciens fortasse quae leguntur apud Strabonem IX, 4: *ἡ δὲ Κίρρα καὶ ἡ Κρίσσα κατεσπιάσθησαν· ἡ μὲν πρότερον ὑπὸ Κρισσαίων· αὕτη δ' ἡ Κρίσσα ὕστερον ὑπ' Εὐρυλόχου τοῦ Θεσσαλοῦ κατὰ τὸν Κρισσαίων πόλεμον.* De quo loco valde controverso vid. quae Tzschucke aliique annotaverunt. Ceterum pari ferme strategemate Polyaeus VII, 42 Autariatas a Celtis superatos esse refert.

<sup>1)</sup> Scriverus dedit: in fronte. Quae scriptura haud dubie falsa est.



Similiter, nec tamen usquequaque vere Polyaeus VI, 22 ea narrat, quae Polybius XII, 6 de Siculis Locrensium dolo finibus suis eiectionis tradit. Apud quem scriptum invenimus, Locrenses, qui postea dicti sunt, cum Siculis foedus in haec verba fecisse: „amicitiam Siculis se servaturos et regionem communiter cum illis possessuros, quamdiu in illa terra pedibus suis insisterent et imposita humeris capita gestarent.“ Haec quum ita convenissent, Locros terra in calceamentorum soleas injecta humerisque aliorum capitibus ita impositis, ut non apparerent, ad dandum jusjurandum accessisse. Deinde eos terra e calceis excussa abjectisque aliorum capitibus paulo post (*μετ' οὐ πολὺ*) oblata occasione Siculos regione expulisse. Ita fere Polybius. Quae Polyaeus de hac re perscripsit praeunte Vultejo haud inepte sic ferme exprimas: Locri Italici foedus cum Siculis facientes aliorum capita sub tunicis in humeros imposuerunt et terram calceis injectam sub pedibus habentes jurarunt, se firmam et integram rempublicam illis conservaturos, donec in ea terra ingrederentur et capita in humeris ferrent. Jurijurando fidem habentes Siculos Locri postridie *ἀνεῖλον* — *μετὰ μίαν ἡμέραν*) interfecerunt, quasi jam non in eadem terra ingredientibus neque capita super humeros ferentes. — Quid inter utramque narrationem differat, nihil attinet pluribus exponere. Patet enim per se. De simili quadam fraude, qua usum esse Polyaeus dicit Aryandem, Herodotus autem Amasin, peditatus praefectum, vid. VII, 34. Cf. Herod. IV, 201. coll. 167.

Vera falsis mixta reperiuntur VII, 6, 6. Verum quidem est, quod Polyaeus narrat, camelos a Cyro adversus equites armatos Lydorum collocatos esse; ceterum tamen discedit ab Herodoto, eandem pugnam I, 80 referente. Qui quidem negat Lydos re nova adeo esse perterritos, ut in fugam se darent, quod factum esse tradit Polyaeus; immo vero collectis animis equites Lydorum ex equis descendisse et pedibus cum Persis proeliatos multis denique utrimque caesis in urbem se recepisse ibique obsidione clausos esse. Minime igitur ante proelium, ut diserte dicit Polyaeus, Cyrus victoriam adeptus est.

Nec magis vera sunt, quae VII, 6, 1. relata legimus. Non enim misericordia suorum imbelles Persae permoti a fuga constiterunt pugnamque renovarunt, sed, sicuti ex Plutarcho de mulierum virtute V. v. Persid. et ex Justino I, 6 cognoscitur, ingenti mulierum in viros refugientes foedissima probra jactantium pudore ad virtutem tandem excitati proelio repetito instantes Medos superarunt. Quid, quod eandem rem eodemque modo, quo testes illi, quos modo protuli, Polyaeus enarrat VII, 45, 2 more suo scripta rescribens atque hoc quidem loco etiam corrigens? Sed missos jam faciamus Persas mulierum obscenitate victores.

Captae Babylonis rationem et causam non eam fuisse, quam aperit Polyaeus VII, 6, 8. cf. ibid. §. 5, ubi eadem res memoratur, declarat Herodotus I, 191. Polyaeus haec habet: *Βαβυλώνιοι πειν ὕδωρ οὐκ ἔχοντες ἀντίκα σφᾶς αὐτοὺς Κύρω παρέδωκαν*. Contra ea testis est Herodotus, Babylonios non aquae penuria coactos se urbemque Cyro dedidisse, sed incredibili sua ipsorum negligentia imparatos imprudentesque a Persis oppressos esse.

Quae Polyaeus VII, 16, 1 fusius narrat de Tissapherne Artaxerxis jussu interempto, breviter attigit Diodorus XIV, 80. Discrepat autem inter utrumque de epistolis, quas a rege de ea re missas referunt. Apud Polyaeum haec sunt: *Ἀρταξέρξης ἐπὶ τὴν Τισσαφέρωνος σύλληψιν κατέπεμψε Τιθράυστην, δύο ἐπιστολὰς κομίζοντα: τὴν μὲν πρὸς αὐτὸν περὶ τοῦ πολέμου τοῦ πρὸς τοὺς Ἕλληνας, ἐπιτρέπων αὐτῷ τὰ πάντα: τὴν δὲ πρὸς Ἀριαῖον, ὅπως αὐτὸν συλλάβοι μετὰ Τιθράυστου*. Ad quae, si placet, confer haec Diodori: *καταστήσας οὖν Τιθράυστην ἡγεμόνα, τούτῳ μὲν παρήγγειλε συλλαμβάνειν Τισσαφέρην, πρὸς δὲ τὰς πόλεις καὶ τοὺς σατραπᾶς ἐπεμψεν*



